



Dissertatio isagogica in Epistolam ad Ephesios

<https://hdl.handle.net/1874/204919>

DISSERTATIO ISAGOGICA
IN
EPISTOLAM AD EPHESIOS.

QUAM
PROPITIO SUMMO NUMINE,
Sub Præsidio

Plurimum Venerandi atque Celeberrimi Viri,
HIERONYMI VAN ALPHEN,
S. S. Theologiæ Doctoris, ejusdemque in inclyta
Trajectinorum Academia Professoris
Ordinarii,

Publico Examine submittit

MATTHAEUS PAP FAGARASI,
TRANSYLVANO-HUNGARUS.

Ad diem xv. Maji, horis locoque solitis.



TRAJECTI ad RHENUM.
Apud ALEXANDRUM VAN MEGEN.
ACADEMIÆ TYPOGRAPHUM MDCCXXXIV.

ILLUSTISSIMO AC MAGNIFICO
DOMINO,

D. GREGORIO BARTSAI DE N. BARTSA,
INCLYTI COMITATUS ZARANDENSIS SUPE-
RIORIS AC INFERIORIS SUPREMO COMITI
PERPETUO. TRIUM IN TRANSYLVANIA COL-
LEGIORUM REF. NEC NON NOB. QUOD AD
SZASZ-VARAS EST GYMNASII PATRONO LI-
BERALISSIMO ETC. ETC.

*Domino suo Fautori, atque Patrono
munificentissimo, & ad ultimam
vitae auram humillime colendo.*

SPECTABILI AC GENEROSO
DOMINO,

D. JOSEPHO POGANY DE N. KLOPOTIVA,
INCLYT. COMITATUUM ZARANDENSIS ET
V. HUNYADENSIS ADSESSORI CONSULTISSI-
MO ETC.

*Fautori suo benevolentissimo, &
singulari observantiae cultus
aetatem prosequendo.*

*Viris Celeberrimis, Incolytae Academiae Trajectinae
Luminibus Clarissimis:*

D. HIERONYMO VAN ALPHEN,
S. S. Th. Doctori, ejusdemque facultatis Professore Ordinario,
Fautori suo Benignissimo, Praesidi Gravissimo.

D. JOHANNI VANDEN HONERT, T.H.F.
S. S. Th. Doctori, ejusdemque facultatis, nec non Historiae
Ecclesiasticae Professore Ordinario.

D. DAVIDI MILLIO,
S. S. Theologiae, ut & Philosophiae Doctore, illius Facultatis,
& Antiquitatum Jud. nec non Linguarum Orientalium
Professore Ordinario.

D. PETRO VAN MUSSCHENBROEK,
A. L. M. Philosophiae & Medicinae Doctore, illius Facultatis,
nec non Matheseos ac Astronomiae Professore Ordinario.

D. JACOB O O D E,
A. L. M. Philosophiae & Theologiae Doctore, illius Facultatis
Professore Ordinario, istius vero Extraordinario.

Præceptoribus suis observandissimis, colendissimis.

*Hanc Dissertationem humiliter
at grato animo*

D. D. D.

DEFENDENS.

EPISTOLAM AD EPHESIOS.

ARTICULUS I.

De Scriptore hujus Epistolae.

§. 1.

More solito nomen saum in fronte hujus Epistolae posuit Apostolus *Paulus*; cujus prosopographiam hic praemittere supervacaneum est. Quod solius Pauli, non, uti in quibusdam aliis Epistolis, *Timothei* quoque nomen compareat, cum Cl. V. Till, inde esse censemus, quod hoc tempore *Timotheus* non fuerit apud *Paulum*, Romae catenis constrictum. Qua de re infra, ubi de tempore disputabimus, adhuc dicendi erit locus.

Potius notanda erunt quaedam testimonia Veterum, quibus constat, ab omni aeo Christiano, agnitum fuisse *Paulum* Apostolum hujus Epistolae Scriptorem.

§. 2. In Epistola *Ignatii ad Ephesios* (quae tamen inter interpolatas numeratur) ita citantur verba Ephes. IV. 4. §. 6. ut praemittatur *ὁ Πάυλος* *ὁ κτίστης τῆς ἐκκλησίας* p. m. 48. Qui idem locus, saltem versus 4. quoque *Paulo* tribuitur in Epistola *Ignatio* adscripta ad *Philippenses* pag. mihi 159. col. 1. confer pag. 158. col. 2. quem eundem locum quoque, ut auctoritatem probandi habentem, adductum videas p. m. 118 col. 1. Vol. II. *Pat. App. Cotelerii*.

§. 3. Verba quae leguntur Eph. IV. 26. in antiqua versione Epistolae *S. Polycarpi* p. m. 189. citantur ut verba *Scripturarum*. Sic in *Constit. Apostolicis* p. m. 259. Eph. II. 17. ut *scriptum* citatur. Ut Apostoli verbum *Origenem*, homil. vii. in Numeros, citare dictum quod extat Eph. IV. 30. in notis *Cotelerii* ad *Hermam*, p. m. 91. Vol. I. *Paul. Apostol. observatum* video. Praeterco multa lo-

ca, quae ex iisdem Patt. Apostolicis notari possent, in quibus verba quaedam & monita, quae in hac Epistola reperiuntur, usurpantur.

§. 4. Apud *Irenaeum* crebra hujus Epistolae mentio est. *Paulus* (inquit *Irenaeus* lib. V. contra haeres. cap. XIV. edit. Massueti p. m. 310.) ait *Ephesis*: In quo habuimus redemptionem &c. Eph. I. 7. & rursus eisdem: Vos qui aliquando eratis longe &c. Eph. II. 13. & iterum: Inimicitias &c. Eph. II. 14. 15. Verba, quae videntur Eph. I. 10. mox post mentionem *Pauli* factam, leguntur lib. V. c. 20. p. m. 317. col. 2. Capite autem VIII. ejusdem libri, pag. m. 301. dictum quod extat Eph. I. 13. ita citatur, ut praemittat *Irenaeus*: *Apostolus* in Epistola, quae ad *Ephesios* est, dicens &c. Similem praefationem, *Apostoli* pariter & *Ephesiorum*, ad quos scripta sit Epistola, mentionem facientem ante verba commatis 30. Cap. V. videre est apud *Iren.* l. V. c. 2. p. m. 294. col. 1. Quin etiam ipsos haereticos verba, quae nos Eph. III. 21. legimus, *Pauli* verba dixisse, atque ad suam opinionem stabilendam torsisse; *Irenaeus* monet lib. I. cap. 3. p. m. 14. quae verba *Pauli* esse *Irenaeus* quoque minimè negat. Qui idem quoque *Paulo* tribuit, quae leguntur Eph. II. 3. lib. III. advers. haeres. cap. XVIII. p. m. 210. nec non quae reperiuntur. Eph. IV. 5. 6. lib. IV. cap. 32. p. m. 269. conf. lib. II. cap. 2. p. m. 118. col. 2. & lib. IV. c. 20. p. m. 253. col. 1. pariter *Apostolus* *Irenaeo* est, lib. V. c. 31. p. m. 331. col. 1. qui ait: *Ascendit autem quid est* &c. quae habentur Eph. IV. 8. Et monita, quae occurrunt Eph. IV. 25. 29. & V. 4. 8. *Pauli* *Apostoli* esse testatur lib. IV. c. 37. (al. 73.) p. m. 282. col. 2.

Apostolus ait (inquit *Irenaeus* lib. IV. cap. 27. p. m. 265. col. 2.) *Nemo vos seducat* &c. Quae verba sunt Epistolae nostrae ad *Ephesios* cap. V. 6. 7. Quae vero leguntur Eph. V. 32. haereticos verba *Pauli* esse agnoscere, indicat, neque refragatur *Irenaeus* advers. haeres. lib. I. c. 8. p. m. 40. (col. 1. & 3. id est, ex interpretatione tum veteri, tum *Billii*) Uti quoque eadem ratione, in utraque interpretatione, verba Eph. V. 13. citata videmus tanquam *Pauli* verba. Adde pro *Apostolorum* doctrina haberi dictum Epistolae nostrae, Eph. I. 10. & VI. 12. lib. I. cap. 10. p. m. 48.

§. 5. Multa ex hac Epistola loca, in suum usum convertit *Tertullianus*. Citaturus (advers. Marcionem lib. V. c. 17. p. m. 607. C.) locum, qui extat Eph. I. 10. in haec verba praefatur: *Ecclesiae quidem veritatis Epistolam istam ad Ephesios habemus emissam, non ad Laodiceos; sed Marcion ei Titulum aliquando interpolare gessit, quasi & in isto diligentissimus explorator.*

Nihil autem de rivalis interest, cum ad omnes *Apostolus* scripserit, dum ad quosdam *§. 6.* p. m. 607. 608. 609. 610. postea utens quoque verbis, quae extant Eph. I. 12. 13. 17. 18. 20. Eph. II. 1. 2. 3. 10. 11. 12. & seqq. item c. III. & ex hoc versibus 8 9. 10. IV. 8. Eundem locum ex Eph. I. 10. libro de *Monogamia* cap. V. p. m. 676. citat, ita praefatus: *Apostolus scribens ad Ephesios.*

Verbis, quae leguntur Eph. II. 20. utitur tanquam *Pauli* verbis, advers. Marcion. lib. IV. c. 39. p. m. 568. Et quae habentur Eph. III. 17. *Tertullianus* de resurrect. carn. c. 40. p. m. 408. C. dicit *Paulum ad Ephesios scribere*. Et libro de *baptismo* c. 15. p. m. 262. C. ex *Apostoli* literis dicit constare, *UNUM esse baptismum*. Quod respicit ad Eph. IV. 5. uti quoque advers. Marcion. lib. V. c. 10. p. m. 594. B. *Apostolum* dicit *unius baptismi desinitorem*.

Porro monitum quod legimus Eph. IV. 22. 23. lib. de resurrect. carn. c. 45. p. m. 412. C. monitum *Apostoli* vocat. Cui etiam acceptum fert, id quod legitur Eph. IV. 25. 26. ibid. p. m. 413. A. uti quoque advers. Marcion. lib. V. c. 18. p. m. 611. A. ubi quoque *Apostolo* tribuit, quae leguntur Eph. V. 11. 18. 22. 23. 25. 29. 32. & cap. VI. 1. 2. 4. uti pag. seqq. Eph. VI. 11. 12. 16. 19.

Idem *Tertullianus* pro admonitione *Apostoli* habet, id quod habetur Eph. IV. 26. lib. de oratione c. x. p. m. 153. B. & ejusdem IV. ad Eph. capituli comma 27. admonitionem *Apostoli* dicit, lib. de fuga in persecutt. cap. ix. p. m. 695. D.

Apostoli ad Ephesios Epistolam esse dicit, ex qua depromit lib. de pudicitia p. m. 736. D. ut & pag. seqq. dicta quae extant Eph. V. 3. 5. 12. 18.

Coronidis loco adjicio *Tertulliani* de praescriptione haereticorum cap. 36. p. m. 245. dictum: *Age jam, qui voles curiositatem melius exercere in negotio salutis Tuae, percurrere Ecclesias Apostolicas, apud quas ipsae adhuc cathedrae Apostolorum suis locis praesident, apud quas IPSAE AUTHENTICAE LITERAE*

eorum recitantur si potes in *Asiam* tendere, habes EPHE-
SUM.

§. 6. Similiter *Clem. Alexandrinus* *ωεργετηνῶ ωεδς Εδλωας* p. m. 14. D. edit. Sylburg. dicit: *Nos arguit Apostolus: Et eratis alieni a testamenti promissionis &c.* quod reperimus Eph. II. 12. Idem Author saepius verbis Apostoli ex hac Epistola desumptis, quamvis (quod satis notum videtur existimasse) aliquando non expresserit verba Apostoli, neque conceptis verbis dixerit, quod ex hac Epistola desumpta sint. Aliquando illud quoque sed obscurius significat. vid. ex gr. *Stromatum* lib. IV. p. m. 527. B. ubi verba legimus, quae Eph. IV. videntur, postquam pag. praeced. Apostoli iterato mentionem fecisset.

Aperitè tamen & conceptis verbis asserit, *Apostolum ad Ephesos scribere, donec occurramus omnes in unitatem fidei &c.* Verba exhibet, quae extant Eph. IV. 13. *Paedag.* l. I. p. m. 88.

Monitum, quod eodem capite extat versu 24. testatur *Clemens Apostolum dixisse.* *Stromat.* lib. III. p. m. 466. C. uti Apostolo tribuit, quae leguntur Eph. IV. 29. in *paedag.* lib. II. c. 6. p. m. 169. & in protrept. p. m. 54. B. dicta quae reperiuntur Eph. IV. vers. 17. 18. 19.

Vide quoque *Stromat.* lib. III. p. m. 437. C. D. & *paedag.* lib. II. c. 10. p. m. 195. C. Ubi asserit, *beatum Apostolum dicere: Fornicatio aurem &c.* exhibet autem verba, quae conspiciuntur Eph. V. 3.

Eodem libro p. m. 156. A. *Apostolum* dicit praecipere: *Ne inebriemini vino &c.* quod legimus Eph. V. 18

§. 7. *Clementi* jungamus ejus Discipulum, *Adamantium* illum *Originem*. Hunc non minus luculentum testem sistere licet, hanc Epistolam genuinum esse Apostoli *Pauli* factum. Is enim *Comment. in Johan. Oper.* ab *Huetio* editorum lib. II. p. m. 32. B. id quod nos legimus Epist. ad Ephes. I. 21. affirmat dictum *Pauli* esse. Similiterque p. m. 315. B. id quod habetur Eph. II. 3. iterumque p. m. 325. B. & p. m. 246. versum 7. cap. II. ejusdem Epistolae. Ut quoque p. m. 97. C. verba commatis sti cap. III. nostrae Epistolae. Quae eadem quoque tanquam Scripturis comprehensa adducuntur p. m. 240. C. & *Comment. in Matthaeum* tom.

tom. 1. oper. p. m. 330. D. verba Epistolae nostrae, cap. IV. 13. conf. p. 394. C. & in Joh. tom. II. p. m. 185. D.

Sic, illa, quae videre est Eph. V. 2, apud *Paulum* dici affirmat p. m. 279. E. & *Paulam* pronunciare: *Viri diligite uxores &c.* (quod nos scriptum videmus Eph. V. 25.) afferit Comment. in Matth. tom. 1. p. m. 357. A. & ibidem p. m. 497. C. *Mysterium enim hoc magnum est, & ut ait Paulus, ad Christum & ad Ecclesiam pertinet.* Conf. in Joh. tom. II. p. m. 264. extat & 263. Pariter p. m. 370. docet, *Apostolum sermonem Dei appellare gladium Spiritus, quod facit Eph. VI. 17.* Idem *Origenes* contra Celsum lib. II. p. m. 100. verba, quae leguntur Eph. III. 8. *Pauli* verba agnoscit. Omitto lubens plura loca, in quibus *Origenes* quidem in argumentum adhibet verba ex hac Epistola desumpta; sed non expressio vel *Pauli*, vel *Apostoli* nomine; quae tamen, juncta dictis, argumento nostro robur conciliare possent.

§. 8. Accedat etiam *Cyprianus*. Qui lib. II. advers. Judaeos p. m. 35. verba quae leguntur Eph. II. 17. *Paulum ad Ephesios* scripsisse affirmat.

Verba quae reperiuntur Eph. IV. 1. & seqq. Apostoli dicit esse praecepta. Epist. 89. p. m. 326. edit. Oxon. sequentia quoque pag. 327. ab Apostolo *Paulo* dicta profert. Itemque tract. de unitate Ecclesiae p. m. 78. 79. conf. 149. & 158. 159.

Ejusdem capitis IV. nostrae Epistolae versum 22. *Pauli ad Ephesios* esse dicit. Testimoniorum lib. III. p. m. 49. uti ibid. Eph. IV. 30. p. m. 47. ut & versum 29. Testimon. lib. III. p. m. 50. conf. tract. de bono patientiae p. m. 149.

Epistola IV. *Cyprianus* p. m. 174. afferit, quod Apostolus dicat: *Nolite locum dare Diabolo*, quod legimus Eph. IV. 27.

Item Epistola XLV. p. m. 231. *Apostolum* dicere ait, quae leguntur Eph. IV. 29. & quae habentur Eph. V. 5. *Cyprianus* afferit ut quae *Apostolus* dicat. Epist. LV. p. m. 250. conf. Testimonior. lib. III. p. m. 56. dicit: *In Epistola ad Ephesios: Stultiloquium & scurrilitas &c.* sequuntur verba Eph. V. 4.

Sic Apostolo tribuit verba, quae extant Eph. V. 6. Epistola XLIII. p. m. 229. conf. Epist. LXV. p. m. 283. & de unitate Ecclesiae p. m. 85.

In Epistola LXIX. p. m. 295. *Cyprianns ad Magnum Filium* scribit: *Paulus Apostolus - - ad Ephesios scribit & dicit: Christus dilexit Ecclesiam &c.* respicit ad verba Eph. V. 25. conf. Epistol. LXXIV. p. m. 316.

Sic Epistola LII. p. m. 238. *Paulo* tribuit, quae leguntur Eph. V. 31.

Libro III. Testimoniorum, cap. LXX. - - LXXIV. p. m. 62. scribit contineri in Epistola Pauli ad Ephesios illa, quae etiam nunc in ista Epistola conspiciuntur cap. VI. 1. 4. 5. 9. Eodemque libro III. Testimoniorum, p. m. 56. simili citandi formulâ adhibitâ, affert verba, quae in nostra ad Ephesios Epistola reperiuntur cap. VI. 12. quae eadem verba adducit Epistola LVIII. p. m. 258. tanquam quibus *Apostolus nos armet.*

§. 9. Satis, ut opinor, testimoniorum adduximus, quibus constat de *Paulo*, quod ejus Auctor sit. Recensetur haec Epistola inter illas quatuordecim, de quibus *Eusebius Hist. Eccl. lib. III. cap. 3.* τὴν ἢ Παύλου πρὸς δὲ λαὸν τῶν εὐφροσύνης ἐν δευτέρω. Uti quoque *Cyrellus Hierosolym. Catech. IV. p. m. 67.* tanquam satis notas commendat τὰς Παύλου δευτέρω ἐπιστολάς. Similiter *Gregorius Nazianzenus l. 2. p. m. 98. versu 35.* dicit: Δείκται ἢ Παύλου τερσῶν τῶν ἐπιστολῶν.

Athanasium lib. 2. in Synopsi (si ille hujus Auctor sit) p. m. 60. & 144. & *Amphilochium in Epistola Jambica*, versu 304, p. m. 133. aliosque hanc Epistolam numerasse in illis, quae indubiè a *Paulo* Apostolo sint scriptae.

§. 10. Constat simul ex hisce testimoniis, saltem nonnullis, quod antiquissimi Ecclesiastici Scriptores, non tantum *Paulum* Scriptorem, sed *Ephesios* quoque illos, ad quos hanc Epistolam scripserit, agnoverint: de quo dicemus Artic. seq.

§. 11. Quod autem in hac quoque Epistola *Paulus* sibi vindicet *Apostolatam* (quod in nonnullarum Epistolarum inscriptione facit, in aliarum vero omittit) ea fini videtur fecisse, ut tanto fortius animis *Ephesiorum* incutiret illa, quae praescriberebat officia. Maximè, ut memores essent, quales fuerint, antequam per *Evangeliū*, quod illis praedicaverat, ad Christum essent conversi.

ARTICULUS II.

De illis, ad quos scripta est haec Epistola.

§. 1. **T**itulus habet: Πάυλος & Ἀποστόλος ἡμεῶν πρὸς Ἐφεσίους Ἰουδαῖν.
In Polyglottis singulis versionibus talis titulus praefixus
cernitur, qui Ephesiorum nomen, tanquam illorum ad quos mis-
sa sit haec Epistola, mentionem faciat. Ex Tertulliano advers.
Marcionem, lib. V. cap. 17. p. m. 607. supra audivimus: Ecclesiae
quidem veritate Epistolam istam ad Ephesios habemus emissam, non
ad Laodiceos; sed Marcion ei titulum aliquando interpolare gestit,
quasi & in isto diligentissimus explorator.

§. 2. Marcioni tamen pollicem premunt quidam recentiores. In his,
quem Cl. van Till ad hanc Epistolam notat & refutat, Illustris
Grotius. Causatus Marcionem mentiendi rationem non habuisse.

Sed haec ratio (quod rectè monet Tillius noster) nullius est
momenti. Qui scit Doctiss. Grotius, quod Marcion mentiendi
causam nullam habuerit? Famofus Scripturarum interpolator, si
quid mutationis huic Epistolae inducere voluit, ejus interesse po-
tuit, quantum pote, impedire collationem autographi. Sed ratio-
nem, quae Marcionem movere potuerit, in obscuro relinquamus.
An non inverti potest hoc argumentum? An igitur Ecclesia? An
Tertullianus? An Clemens Alexandrinus? An Irenaeus? alique
causas mentiendi habuerunt? Certe veracitatis Marcionis docu-
menta non habemus; ut taceam, quod Pyres contrarium ipsi per-
hibeant testimonium: quod notavit Celeb. V. Till in Isag. ad h.
Epistolam p. m. 179. ex Clementis Alexandrini Stromat. lib. VII. p.
m. 765. B. edit. Sylburg. & ex Tertullianum lib. 1. advers. Marcionem
c. 1. p. m. 430.

§. 3. Ita loquitur Tertullianus:

„Nihil tam Barbarum ac triste apud Pontum, quam quod
„ illic Marcion natus est, Seytha tetricior, Hamaxobio instabilior,
„ Massagera inhumanior, Amazona audacior, nubilo obscurior,
„ hyeme frigidior, gelu fragilior, Istro fallacior, Caucaaso ab-
„ ruptior.

Verba autem *Clementis* loco citato a Cl. V. *Till* non satis accurate sunt expressa. Ita habent: *Καὶ ἡ Ματθίας ἀνοχῶσι θεοράγει δόξαν* Loquitur de haereticis *Matthiae* Auctoritatem praetextentibus.

§. 4. Illustris *Grotius* admissâ ferè *Marcionis* sententiâ, hinc illustrandum censet locum vexatum *Coloss. IV. 16.* Marcione enim tradente hanc, quam vulgò ad *Ephesios* dicimus, Epistolam scriptam esse ad *Laodiceos*, opinatur Vir Illustr. hanc eandem intelligendam esse, quando Apostolus jubet: *Καὶ ἡ ἐν λαοδικείας ἵνα καὶ ὑμεῖς ἀναγνώ- τας* legendum autem esse contendit: *Καὶ ἡ λαοδικείας* atque id interpretatur in hunc modum: (Comment. ad Epist. ad *Coloss.* in Bibb. Critt. p. m. 296.) „ Rectè autem dicitur ἡ *λαοδικείας*, ea quae futura erat „ in potestate ac dominio *Laodicensium*, ut ostendimus etiam ex „ jure civili, initio ad *Ephesios*. Erat autem illa *Pauli* Epistola „ ad *Laodicenses* scripta eodem tenore, quo illa ad *Ephesios*; sed „ quia propior *Colossensibus* erat *Laodicea*, inde maluit exemplum „ peti. Confer annotata (in Bibb. Critt. ad cap. I. Epist. ad „ *Ephes.* p. m. 103. ubi dicit: „ Scripsit Paulus eodem plane exem- „ plo Epistolam ad *Laodicenses*, ut ex *Tertulliani* libris adversus „ *Marcionem* colligere est. Et illa forte est Epistola *λαοδικείας* cujus „ mentio *Coloss. IV. 16.* subjicit t. VII. col. III. in Bibb. Criticis, quod *Marcion*, ex fide, uti credibile est, *Ecclesiae Laodicensis* [ita „ senserit] nam cur in ea re mentiretur nihil causae erat. Et hanc esse credimus, quam *Paulus* dicit ἡ *λαοδικείας* *Coloss. IV. 16.* non „ scriptam a *Laodiceis*, sed ad *Laodiceos* pertinentem. Quod ipsum „ rectè significatur casû possessivô, nam Litterae ejus sunt, cujus „ tabellario sunt traditae, multoque magis ubi & redditae sunt. L. „ si Epistolam. Digest. de acquirendo rerum dominio. Hactenus „ *Grotius*.

Ad quae, praeter dicta, sequentia adhuc notamus.

1. *Grotium* non negare hanc Epistolam datam esse ad *Ephesios*; quod benè habet. *Grotium* quidem statuere, quod eodem plane exemplo Epistolam ad *Laodiceos* scripserit, in quo nihil est absurdum. Sed asseritur tamen absque fundamento, & absque exemplo. Probabilius longe est, *Ecclesias*, Epistolas, quas unaquaeque acceperat, cum aliis communicasse.

2. *Grotium*, data hypothesi, nihil lucis asserre loco ex Epist. ad *Coloss. IV. 16.* nam

a. Lectionem sollicitat, legens λαοδικείας pro ἐκ λαοδικείας, abs-
que fide codicum. Certè diligentissimus *Millius* nullum laudat,
in quo ita legatur.

b. Durum quoque videtur, ἐπιστολῶν λαοδικείας interpretari *Epi-
stolam* in potestate & dominio *Laodiceorum*. Ex jure quidem civili
probatum, quod Epistola, quae ad aliquem mittitur, multò ma-
gis ubi reddita est, in ejus sit dominio: Sed sic nondum evictum
est, phrasin esse consuetam, quâ casu possessivo exprimitur *Epi-
stolam* ad aliquem datam vel ei redditam, illius esse. Exempla afferri
deberent, quibus probaretur v. c. Epistolam ad Romanos datam
vocari *Epistolam Romanorum*. Epistolas Ciceronis ad Atticum
appellari *Attici Epistolas*. Neque hactenus mihi persuadere pos-
sum, si retineatur recepta lectio, ἢ ἐκ λαοδικείας, verba signifi-
care posse Epistolam Pauli ad Laodicensis scriptam. Quae sen-
tentia est Raphaelii, ad h. l. adducentis loca ex Polybio, ubi ἢ ἐκ τῆς
Ῥώμης πρεσβείαν, ἢ ἀπέστειλαν οἱ λακεδαιμόνιοι dicat de *Legatione quam
Lacedaemonii Romam* miserant. Legat. XIV. pag. 119. lin. 14.
Potius existimem, non obstante difficultate quam movet laudatus
Raphaelius, verba ἢ ἐκ τῆς Ῥώμης πρεσβείαν παρεστῆσθαι, significare
Legationem ex Româ reversam, venisse. Neque alter locus ex eo-
dem Polybio, Legat. CXXX. p. 1331. lin. antepenult. ubi legitur
ἢ ἐκ τῆς Ῥώμης πρεσβευτῶν ἀνακαμψάντων εἰς ἢ Ἀχαιοὺς, mihi ver-
tendus videtur, *Legatis qui Romam ierant reversis*. Sed potius
Legatis Româ reversis in Achaiam Paulo duriorum in utroque loco
forte sic admitto trajectionem verborum; minus tamen durum existi-
mo significatu, quem laudatus Vir Doctus tribuit verbis ἐκ τῆς Ῥώμης,
quasi significarent *in Urbem Romam* missos. Neque phrasin ἢ ἐκ
λαοδικείας ἐπιστολῶν existimo interpretandam esse *Laodicensem Epi-
stolam*; id est, quae ad eam pertineat, adeoque ad eam missa, ita
ut ejus sit, dicique proprio jure debeat. Quae sententia placet
Clarissimo *Venema*, dicenti: „*Ex Laodicea* est, quae originitus
est *Laodicensis*, non scriptionis, sed juris originem ab ea repe-
tens. Sic ἄνθρωπος ἐκ τῆς πόλεως, Luc. VIII. 29. est Vir, qui etsi
forte in ea non natus, ejus tamen civis est, & ad eam jure per-
tinet.” Addit ἐξ ἑλεως significare coeleste. 2 Cor. V. 2. Ἄνθρωπος
ἐκ Ἀσως apud *Xenophontem* dici *cives Urbanos*.”

stro loco diffimillimis. Citatque porro Clariff. Venema *Raphelium* ad h. l. & *Fesselium* in *Advers.* S. S. l. I. c. 16. Ad-
dere debuisset Vir Clarissimus eundem *Raphelium* ad l. Joh. XI. l.
p. m. 281. ubi sic commentatur: " [*Ἐκ τῆς κώμης*] Sic οἱ ἐκ τῆς
" πόλεως dicuntur *Oppidani*, sive cives, etiam cum in Urbe es-
" sent. *Arrianus* de exped. *Alexandri*. I. 20. 11. οἱ ἐκ τῶν νεῶν.
" qui in navibus sunt. II. 22. 5. οἱ ἐκ τῶν ὄρεων, *Montani*. IV. 24. 8.
" Πόλεις αἱ ἐκ τῆς Ἰταλίας *Urbes in Italia*. *Polyb.* pag. 651. lin. 8."

Primus autem ex *Arriano* locus allatus, non est accuratè cita-
tus. Phrasis enim οἱ ἐκ τῆς πόλεως non reperitur, in toto illo ca-
pite primi libri. Quod ad secundum ex *Arriano* adductum lo-
cum attinet, οἱ ἐκ τῶν νεῶν sunt illi, qui ex navibus pugnabant.
Quod per ellipsin potius videtur exponendum, quam praepositio
ἐκ per *IN* vertenda. Οἱ ἐκ τῶν ὄρεων ἰδόντες, sunt illi qui ex monti-
bus prospiciebant. Neque apud *Polybium* πόλεων, τῶν ἐκ τῆς Ἰταλίας
reddi debet *Urbium in Italia*, sed *Urbium ex Italia* *συναρχίδων*. ut
innuatur non omnes sed quasdam ex Urbibus Italiae fuisse *Socias*.
Plura quidem adducit *Fesselius* loca, quibus suam enallagen, qua
Praepositio cum suo casu, loco adjectivi nomini substantivo aptetur,
probare contendit. Sed, si ea singula examinare instituti nostri
ratio permetteret; si non omnia, certe pleraque deprehenderentur
non probare, quod probandum est. Quidquid sit, exempla sunt
nostro loco prorsus dissimilia. Et si hoc quoque probari posset, vix
tamen *Epistola Laodiceae* vel *Laodicensis* dici posset, *Epistola* quae non
in potestate & dominio Urbis, Senatûs, populive *Laodicenorum* erat,
sed tantummodo in potestate & dominio *Ecclesiae*, quae *Laodiceae*
erat. Certe verbis praecedentibus *Apostolus* iusserat, ut sua ad *Co-*
lossenses scripta *Epistola* legeretur ἐν τῇ λαοδικέων Ἐκκλησίᾳ. Sic quo-
que dicturus videtur istius *Ecclesiae* *Epistolam* vel *Laodicensem*
Ecclesiae *Epistolam* a *Colossensibus* legi debere.

§. 5. Atque haec sufficere viderentur huic hypothefi confutandae.
Sed ante paucos annos, *Celeb. Vitringa Filius*, longè speciosius
probare annisus est, hanc nostram, quae ad *Ephesios* dicitur, *Epi-*
stolam, ad eos non esse rectâ scriptam.

§. 6. In prioris dissertationis parte 1^a. (pag. m. 5.) ipse fatetur, quod
in MSS. & impressis codicibus passim legatur, quod sit scripta ad
Ephe-

Ephesos. Sed indicat simul, quod eruditissimus *Millius*, in nupera editione elaboratissima Novi Foederis primus sit, qui receptissimam opinionem, datâ operâ ac industriâ ex ipso Epistolae argumento controversam fecerit, unum alterumve dictum afferens, quod censet non potuisse ad Ephesios scribere Apostolum eo tempore, quo cum constat has literas dedisse; quodque hoc pacto hanc Epistolam Ephesiis abjudicet *Millius*, Laodicensis vero vindicet, contendatque huc respici Coloss. IV. 6. Quodque idem *Millius* speciem sententiae augeat testimonio *Marcionis*; nec non ex absentia vocum ἐν Ἐφέσω c. I. 1. in antiquissimis MSS. fide Basilii & Hieronymi. Illius quidem lib. II. contra *Eunomium*; Hujus vero, Comment. in init. Epistolae ad Ephesios.

Denique, quod *Millius* sic explicet, quâ ratione acciderit, ut Epistola ad *Laodicensis* data *Ephesius* vindicata sit, in inscriptione c. I. 1. Nimirum: Quod *Tychicus*, qui *Ephesius* erat (uti constat ex 2 Tim. IV. 12.) per quem haec Epistola missa fuit (vid. Eph. VI. 21. 22.) hujus Epistolae apographum ad cives suos detulerit. Quod hinc contigerit, ipsius forte *Pauli* jussu, ut illi Epistolae hujus, ceu ad ipsos aequè ac ad *Laodicensis* pertinentis, titulum haecenus quidem mutaverint, ut in locum vocum ἐν λαοδικείᾳ versu 1. reposuerint ἐν Ἐφέσῳ &c. Quodque haec lectio propagata, conformata sit inscriptione & subscriptione, seriùs tamen & ab aliena manu.

§ 7. In hunc modum exhibet Cl. *Vitringa* sententiam laudati *Millii*. Uti vera sic habet prolegg. ad editionem ejus Novi Foederis p. m. 9. sed tamen non eodem ordine (quem servare praestitisset) proposita. Neque satis plenè. Nam ex dictis Eph. I. 15. & III. 4. generatim concludit, quod haec Epistola scripta sit ad Ecclesiam, quae faciem Apostoli nondum viderat. Et quod talis fuerit Ecclesia *Laodicensis* ut & *Colossensis*, quod colligit ex Coloss. II. 1. Cumque per *Tychicum* delata sit Epistola ad *Colossenses*, per eundem *Tychicum* & eopse tempore hanc ad *Laodicensis* delatam esse, probabile fieri ex loco Coloss. IV. 16. quo loco contendit intelligi non posse Epistolam a *Laodicensibus* scriptam, eo quod nullius usûs & Auctoritatis apud *Colossenses* ipsa esse potuisset. Intelligendam igitur Epistolam a *Paulo* scriptam. Cumque inter utram-

que, nostram scilicet de qua agimus, & illam ad *Colossenses* per *Tychicum* eopse tempore latam, tanta sit convenientia in multis, & in illa quidem copiosius, in hac contractius, eadem res sit pertractata: cumque in Epistola ad *Colossenses* quaedam reperiantur de *Cultu Angelorum*, quae *Laodicenorum* scire intererat (quandoquidem ex Canone xxxv. Synodi *Laodicensae*, quo damnata ἡ *ὑπεροψία*, satis colligi potest in eam illos proclives fuisse); sapienter monuisse, ut *Colossenses* illam ad *Laodiceos*; hi vero illam ad *Colossenses* legerent.

Addit, Epistolam, quam ad *Laodiceos* scriptam esse contendit, generali duntaxat formulâ benedictionis conclusam esse: *Gratia cum omnibus, qui diligunt Dominum Nostrum Iesum Christum in incorruptione.* Id autem minus gratum forte *Laodicenis* futurum, cum praefagiret Apostolus, hinc factum suspicatur *Millius*, quod Epistolae ad *Colossenses* jam post signatas literas, addiderit justum de salutandis *fratribus, qui erant Laodiceae*. *Coloss. IV. 15.* Has probabilitatis suae sententiae, quas Doctissimus *Millius* affert, rationes, omittere non debuisset *Cl. Viringa*. Sed forte non omnes satis graves esse existimavit.

Imo ne quidem illam, ut *Millii* ratiunculam, commemorat, quâ indicare voluit, unde fortè hauserit *Marcion*, quod haec Epistola ad *Laodiceos* sit scripta. Nimirum quod *Marcion* aliquamdiu egerit *Sinope*, haud procul a *Laodicea*, atque hinc, seu ex populariorum suorum traditione, seu etiam auctoritate exemplarium quorundam, hanc Epistolam tanquam ad *Laodiceos* scriptam citaverit. Cum verosimile sit Archetypum *Pauli Laodicensem* nomen praetulisse.

Atque haec haec hactenus ex *Millio*. revertimur ad *Cl. Viringam*. §. 8. Hic notat (pag. 7.) *Erasmus*, quando memorat a *Marcione* citatam Epistolam, tanquam ad *Laodiceos* datam, non pronunciare. Additque *Usserium* in *Annal.* censere hanc Epistolam fuisse encyclicam, quae more illorum temporum ad omnes *Minoris Asiae Ecclesias* in orbem fuerit missa. Unde & *Laodicensem* & *Ephesorum* titulum praeferre potuerint diversa MSS. In primis autem *Millio* praeluisse *Grotium*, cujus sententiam (quam nos modo exhibuimus) refert.

Epicrisin aliquam adjicit, minus probans conjecturam *Grotii*, ac si Apostolus, quasi opere & labori parcens, ad duas distinctas Ecclesias, ejusdem planè argumenti, vel potius alteram ad alteram verbotenus descriptam, dedisset Apostolus: Neque *Milio* pollicem premens, quando is statuit, *Ephesos* forte *Pauli* jussu titulum mutasse, & pro ἐν λαοδικείᾳ reposuisse ἐν Ἐφέσω. Nullum enim jus hoc faciendi habebant *Ephesii*. Neque quidpiam *Paulo* fuisset rationis, ut titulum meditatio positum obduci juberet, atque ita munus liberaliter *Laodicensibus* transmissum cum illorum contumelia tractaret. Sic rectè, uti mihi quidem videtur, contra *Millum* ratiocinatur *Cl. Vitringa*. Addo ego, *Milii* rationes sibi non satis constare. Si enim in ipsa leguntur (quod contendit *Milii*) talia, quae non poterant scribi ad Ecclesiam, in qua *Paulus* diu docuit, quam ineptum foret istiusmodi Ecclesiam jubere, ut mutatione inscriptionis illam Epistolam tanquam ad se datam representaret.

§. 9. Commemoratis porro de hac re disputationibus tum *Celeb. Alberti Fabricii*, in *Biblioth. Gr.* lib. IV. p. 155. & in codice *Apocryph. Nov. Test.* pag. 838. tum *D. Lensae* in *Biblioth. Sef. Clerici* t. XVI. p. 299. & materiae dignitate commendata, *Vir Clariss.* ad ipsum se accingit opus, atque (pag. 11.) primae disputationis in se recipit

I. Probare epistolam *D. Pauli* Ephesinae Ecclesiae, ex vulgata lectione, inscriptam, non ei, sed alii cuidam singulari credentium coetui datam esse; dilutis quae in adversum dici queunt. Atque hac fini

A. Chronologiam scriptae hujus a *Paulo* Epistolae constituere: Unde omnis V. Clarissimi ducetur ex ipsa epistola demonstratio.

B. Huic fundamento probationem superstruere.

II. Tandem verum & proprium jus *Laodicensium* in has literas asserere.

§. 10. Hanc telam ad finem pertexere *Clarissimo Vitringae* per fata non licuit. *Clarissimus* autem *Venema* hoc argumentum prosequens, *Laodicenis* hanc Epistolam missam esse contendit.

§. 11. Sufficiet, opinor, si ostendere queamus, nullas rationes esse quae apodicticè demonstrant ad aliam, quam *Ephesinam*, Ecclesiam,

fiam, hanc Epistolam scriptam esse; imò nullas esse, quae constanti lectioni satis graves acquiponderari possint: quod si facere possimus, non opus erit, ut nos immisceamus examinandis conjecturis, & litibus inter Viros doctos de hac materia reciprocatis.

Clarissimus *Venema* ipse exorditur ab eo, quod censet

Ingeniosissimam de suspecto vel falso Epistolae ad Ephesios titulo opinionem in ea collocatam esse luce, a Clariss. G. Vitringa F. ut inter maximè probabiles opiniones locum merito tenere debeat.

Quod si igitur evincere queam tantum probabilitatis hic non reperiri, ut communem eamque constantissimam lectionem liceat sollicitare; necesse non erit, ut de reliquis sim sollicitus.

Neque litigandi libido me ad hanc disputationem impulit; sed eo tempore, quo illam disertationem bimembrem in lucem miserat Cl. *Vitringa*, ordo, quem servavi, in analyticè, in scholis privatis, pertractandis Epistolis *Paulinis*, me ad hanc Epistolam perduxerat; cui, quod etiam reliquis feceram, Prolegomena haec praemittere debui.

§. 12. Chronologiam igitur hujus Epistolae ita constituit *maximè*, ut asserat in vinculis Romanis, & quidem prioribus, eam esse scriptam.

Hanc chronologiam quo pacto demonstret, operae pretium erit examinare.

Praemittit discrimen vinculorum *Pauli*; de quo ego quoque minimè dubito.

Tria observat esse in hac Epistola loca, è quibus constat ex vinculis eam esse scriptam. cap. III. 1. IV. 1. VI. 20. Et recte quidem.

Haec eadem esse, quae *Agabus* ei praedixerat Act. XXI. 11. Quod sic probare annititur:

a. Observat, quod Paulus ante id tempus vinculis **DIUTURNIS** ac famâ per Ecclesias celebratis, qualia haec fuerunt, mancipatus non fuerit. Quod Vir Cl. copiosius exequitur pag. 17. 18. 19.

b. Urget hoc ex eo, quod in Epistola ad *Colossenses* Paulus molestiam & diuturnitatem horum vinculorum clarius adhuc significet. Coloss. I. 24. IV. 3. & 18.

Ut autem hoc in rem suam vertat, ponit & probare conatur; eadem esse vincula, è quibus Epistola ad *Colossenses*, et e quibus haec

haec nostra est scripta. Quod mihi secus videtur.

Haec est arx causae; diligenter examinanda. Hanc ut stabiliat,

(α) Observat utramque per *Tychicum* esse missam. Sed cum ipse sentiat hoc solum (quamvis si nihil obstat, praedictet) non probare invictè, cum diverso tempore utrumque officium consequenter obire potuerit *Tychicus*;

(β) Addit identitatem argumenti utriusque Epistolae. Idem (inquit) in utraque rerum ordo, phraseos non affinitas, sed similitudo maxima, eadem in utraque conditio & status scriptoris exhibetur, idque gemina dictione; idem utriusque, & quidem simili commendationis formulâ, perhibetur tabellarius. Hinc concludit, quod eodem tempore &c. utraque scripta sit: adeoque e prioribus vinculis.

c. Epistola, quae *Ephesius* inscripta est, curata est per *Tychicum* Eph. VI. 21. 22. Atque *Tychicus* tum demum *Paulo* comitem se dedit, cum *Paulus* *Epheso* discedens in *Macedoniam* se contulit. Act. XX. 4.

Ergo Epistola nostra exarata est post moram *Pauli* in urbe *Epheso*. De eo neque ego dubito.

d. In Epistola ad *Colossenses* salutat credentes ab *Aristarcho* & *Luca* Coloss. IV. 10. 14.

Hi *Paulum* *Romam* comitati sunt. Act. XXVII. 2. Ergo Epistola ad *Colossenses*, non ex prioribus aliis, sed ex *Romanis* vinculis scripta est. Hoc mihi quoque certum est.

Igitur & haec nostra, utpote eodem, uti mox dictum est, tempore. De eo videbimus suo loco. Haecenus hanc rationem non admitto.

e. Epistola *Pauli* ad *Philemonem* simul cum ea, quae ad *Colossenses* ablegata est. Item illa ad *Philippenses*. Haec autem ad *Philippenses*, non ex aliis quam *Romanis* eisque prioribus vinculis missa est (quod *Cl. Virringa* pluribus exequitur, ego vero minimè nego.) Hinc concludit, quod Epistola nostra, cum copse quo illa ad *Colossenses* scripta sit, tempore, quoque e *Pauli* vinculis prioribus *Romanis* missa sit. An e prioribus, an potius e posterioribus, deinceps disputabimus.

His praemissis, *Vir Cl.* inquit, quaenam inter illas Prima missa sit? Atque Epistolam ad *Philippenses* postponendam censet, cum *Theophylacto*; idque

(α) Quia

(α) Quia *Philippensibus* neque *Timothei*, neque *Tychici* nomine salutem dicit.

(β) Quia in nulla alia tam confidenter loquitur de sua proxima liberatione, quam in hac ad *Philippenses*.

Ut ad propositum redeat Cl. *Viringa*, ex his pag. 26. concludit, quod Epistola, quae *Ephesus* inscribitur, sit scripta postquam sat longo tempore ante cum *Ephesiis* in ipsorum urbe fuisset conversatus. Quod rursus pag. 26. 27. satis prolixè probatum dat; quodque, mea quidem sententia, minimè negari potest.

§. 13. Tandem & Chronologiam Pauli annis aerae vulgaris, ex sua scilicet hypothese, alligat. Quod nostri nunc non est instituti, ut examinemus.

Convenit igitur mihi hætenùs cum Cl. *Viringa*, quod agnoscam cum ipso hanc Epistolam ex *Pauli* vinculis *Romanis* scriptam esse, atque adeo postquam sat longo tempore *Ephesi* docuerat. Nondum tamen probatum video (de quo agam in seqq.) hanc, de qua agimus Epistolam, esse, quo illa ad *Colossenses*, tempore, atque adeo ex Prioribus vinculis, missam esse.

§. 14 Summa hæc est Primae partis laudatae dissertationis. Videamus, quo pacto hinc eliciat, Epistolam, quae *Ephesus* ex vulgata lectione inscribitur, non ad illos, sed ad alium credentium coetum missam esse.

§. 15. Contendit igitur Cl. *Viringa* (Disputationis II. pag. 1.) hanc Epistolam datam esse ad illos qui *Paulum* nunquam viderant. Hoc quadruplici argumentorum classe se evicturum confidit Vir Doctiss.

1. Prima, demonstrabit, quod talia in hac Epistola reperiantur, quae Notus ad Notos scribere non potest.

2. Altera, quod nulla occurrant in hac Epistola, quae indicium præbeant, *Paulum* ad Notos scribere: qualia tamen in reliquis *Pauli* ad Notos datis Epistolis, inveniri solent.

3. Tertia ostendet, quod peculiare hic reperiantur circumstantiæ & notae, indicantes, quod hæc nostra ad ignotos scripta sit.

4. Quarta afferet testimonia aliorum antiqui temporis hominum, qui factum nosse potuerunt & nobis fideliter referre.

Plures fontes dari non posse &c.

§. 16. Lustremus singulas classes :

1. Primam instruit pag. 7. adductis locis ex Eph. I. 15. III. 2. quae a *Milio* adducta esse supra monuit. cui *Ufferius* in Animalibus jam praeiverat.

Hisce addit Cl. *Viringa* tres alias pericopas. Scil. cap. III. 3. 7. S. & IV. 21. Haec loca ita vindicatum it.

Eph. I. 15. dicit Apostolus, se *audivisse fidem eorum*. Atqui *Ephesi* homines esse, qui fidem in Christum susceperant, non auditione compertum habebat, sed viderat & expertus erat ipsemet &c. Ut hoc argumentum vindicet Cl. *Viringa*, proponit interpretationem Ill. *Grotii*, dicentis : *Loquitur Paulus de profectu Evangelii apud Ephesios, ex quo ipse ab illis discesserat.* quo etiam redit explicatio Cl. *Lenfant.* in Biblioth. sel. pag. 300.

Sed regerit Cl. *Viringa* pag. 9.

a. Non licere *fidem* de perseverantia in fide interpretari.

b. Si hoc voluisset, an tam frigidè laudasset suos *Ephesios*, nulla mentione factâ fidei ipsorum, quam ipse erat expertus, constantiae? Quod illustrat exemplò *Ciceronis*. An *Cicero* per tempus absens scriberet *Attico*, se *audivisse illum esse virum bonum*? An Episcopus Ecclesiae diu a se administratae, interjectis paucis annis, eidem litteris profuturus, praefabatur, se *intellexisse ibi loci esse credentes*, nullâ factâ mentione suae inter ipsos morae?

Aliam igitur nunc aggreditur exceptionem.

Ephesi plures *Paulo* notos fuisse; sed tempore absentiae *Apostoli* nos vos se iis aggregasse *Christianos*, *Paulo* catenus ignotos: His *Apostolum* verba nostra scribere, non illis.

Hanc exceptionem pag. 11. 12. rejicit, monens

Apostolum has litteras scribere ad homines corpus aliquod constituententes. Ab omni autem abhorreere sermonis & litterarum consuetudine, ut Scriptor, si in communitate hominum pauci ipsi ignoti sint, societas tamen ipsa notissima, cui & ipse praefuerit, ita se gerat erga universos, nullo alloquii discrimine factò ad hos vel illos, quasi sibi nunquam visi essent, & non nisi auditione ac rumore noti.

§. 17. 2. Secundum argumentationis munimentum in eo ponit: *Paulum* *Apostolum* his ipsissimis vel in eundem sensum exeuntibus

verbis, qualia Eph. I. 15. leguntur, ad ignotos loqui solere, ubi iis scribendi causam occasionemve aperit: Nunquam vero sic ad notos. Hoc autem tribus demonstrat exemplis. Coloss. I. 3. 4. Philem. v. 4. 5. Utramque Epistolam ad nunquam sibi visos scriptam esse, ex Coloss. II. 1. constare opinatur. tertium exemplum reperitur Rom. I. 8.

Addit: nunquam sic ad notos scribere; nusquam reperiri, ut dicat *Paulus*, se audivisse, in hoc vel illo loco esse, qui fidem in Christum susceperant. Sed contra. vid. Philipp. I. 3-6. 1 Thes. I. 2. 3. 2 Thes. I. 3. 1 Timoth. I. 3. 2 Timoth. I. 5. Urget autem porro Cl. *Viringa* imprimis locum ex Eph. III. 2.

Tale quid dici non potuisset *Ephesios*, apud quos triennium nocte & interdium non cessaverat monere unumquemque. Act. XX. 30. 31.

In considerationem etiam mittit Cl. *Viringa* exceptiones aliter sentientium.

III. *Grotii*, cui assentiatur *L. Enfant*, ἀξίον, significare quoque ἰδίαι, γινώσκον. Hinc verba παρρησίας: si modo recte intellexistis doctrinam meam.

Regerit autem Cl. *Viringa*, *Paulum* per ἀκροασιάν &c. non intelligere doctrinam, sed munus Apostolicum.

Excipitur porro: particulam εἰς hic non esse dubitantis; dubitare enim non poterat, an *Laodiceni* de suo Apostolatum aliquid audiverint; etiamsi ipsum non vidissent; sed continere ἐπιτιμωτικόν, sive tacitam & obliquam reprehensionem.

Reponit Cl. *Viringa*: Ex modestia quasi dubitanter loqui Apostolum: Quoniam res erat ipsi gloriosa. Quod copiose illustrare annitur pag. 18. Sed concludit: Ita ex modestia loqui potuisse Apostolum, non tamen ad illos, inter quos versatus fuerat, quibusque hoc notissimum erat &c.

Aliorum exceptio est, Absente Apostolo plures Ecclesiae Ephesinae se junxisse; ad quos sibi ignotos ita scribere potuerit. Sic Cl. *Coccejus*, aliique.

Hoc pariter rejicit. Quia *Ephesi* esse vix poterant eousque ignoti, ut ita ad eos loqui potuisset Apostolus.

Exceptio quoque alia proponitur. Hoc respicere ad alias vel

in universo orbe, vel in *Asia* minore Ecclesias, ad quas communi jure, tanquam cum illis communicanda, quoque pertinebat haec Epistola. Sic *Usserius* eam habet pro Encyclica. Hoc prolixè refutat *Cl. Viringa* usque ad pag. 26. quod nunc articulatim excerpere superfedeo. Summa huc redit, quod illi, ad quos directè pertinet Epistola, hic spectandi sint; atque ad illos sermo ita dirigendus, prout eorum statui quadrat.

Grotii autem effugium, *Paulum* duas ejusdem tenoris Epistolae scripsisse, ad *Ephesios* unam, ad *Laodiceos* alteram; probabilitate carere; Idque ita refutat, ut existimet talem laboris fugam non convenire gravitati Apostoli. Minimè in hoc casu: Quoniam altera Ecclesia *Paulo* erat notissima, altera ignota. Ad quas eodem modo de Apostolatu suo, an ab ipsis audito, loqui indecorum esset. Recte si quid video.

§ 18. Adstringit hanc argumentationem: observans ad ignotas, vel sibi nondum visas Ecclesias Apostolum solere ita scribere, ut suum commemoret Apostolatum. Quod probat ex *Coloss. I. 14. 15. Rom. XV. 15.*

§ 19. Quae tamen ratiocinatio minimè stringit meo saltem iudicio. *Galatarum* Ecclesiae non erat ignotus Apostolus, & tamen prolixè de suo Apostolatu agit in Epistola ad eos data. Sic in Epistola ad *Corinthios*.

§ 20. Sed audiamus porro *Cl. Viringam*. Nunquam sic ad notos, ait scribere Apostolum. In nulla Epistola ad notos data leges: *Si modo audiveritis me esse Apostolum.* Planè aliter *1 Cor. IX. 1. 2 Cor. XII. 12. 1 Timoth. II. 7. Galat. I. 13.*

Confirmare ulterius annititur suam ratiocinationem ex verbis, quae in nostra Epistola sequuntur: *Καθὼς ἠγγεγένηται ἐν ἡμῖν.*

E quibus colligit *Cl. Viringa* aliud aliquod epistolium antea ad eodem ab Apostolo datum esse: Sic enim *ἠγγεγένηται* sumi in *S. Scriptura* Nov. Test.

Vel si & hoc negetur, atque haec verba de illis, quae in hac eadem Epistola supra scripta sunt, intelligantur: Indicio tamen esse, Apostolum in eo esse, ut fidem sui Apostolatus faceret. Quod apud *Ephesios* ipsum talem expertos utilitate carebat.

Adstringitur idem ex versu 40. Non erat necesse, ut *Ephesi* ex literis suis, vel ex sapientia in illis elucente, cognoscerent Apostolatium ipsius, quem jam cognoverant ex triennali inter ipsos praedicatione. Quod idem porro urget ex reliquis verbis.

§. 21. Praevидit autem Vir Clarissimus, contra suum argumentum ex eo desumptum, quod Apostolatium suum commemoret, objici posse id, quod ego per modum brevis structurae §. 19. adnotavi: nimirum Paulum scribentem ad *Corinthios*, ut & ad *Timotheum*, suum Apostolatium commemorare; quamvis illis minime ignotum. Sed regerit non tali modo, neque tali cohaerentia. Respicit proculdubio ad versum 2. in quo quasi dubitanter censet loqui Apostolum de notitia, quem haberent, sui Apostolatūs. Si aliò respiciat, differentiam indicare debuisset: Si vero huc respiciat, omnis vis ratiocinationis evanescit, si hic versus alium, atque illum, quem Cl. *Viringa* ei tribuit, habere possit sensum. De quo deinde nostram dicemus sententiam.

§. 22. Ultimū locus quem adducit, ut probet *Paulum* ad ignotos scribere, desumptus est, ex Eph. IV. 21. Ἔγινω αὐτὸν ἠγάπατε, ὡς ἐν αὐτῷ ἐδιδάχθητε, καθὼς ἐσιν ἀλήθεια ἐν Χριστῷ.

Haec epanorthosis indicat sollicitudinem Apostoli, uti opinatur Cl. *Viringa* pag. 35. quae animum ejus tenebat de eo, An doctrina salutaris pura & intaminata ipsis praedicata esset? Qualis sollicitudo in animo ipsius residere non potuisset, si ipse illis Evangelium praedicaasset.

§. 23. Pergamus cum Viro Clarissimo ad lustrandum tertium argumentorum agmen pag. 36. Hoc bipartitum facit.

§. 24. a. Generatim contendit, desiderari talia in hac Epistola, quae videntur non potuisse omitti, ex consueto ejus ad notos scribendi more, & natura rei.

a. Huc pertinet, quod nulla hic suae cum ipsis familiaritatis & longae consuetudinis fiat mentio: Hoc argumentum exaggerat ab humanitate Apostoli; a teneritudine affectūs. Cum curaverit, fundaverit, & longo tempore excoluerit hanc Ecclesiam. Cum praeternavigare noluerit, nisi evocatis ad se Presbyteris, &c.

β. Quod nusquam indicet se illis praedicaasse Evangelium, etiam ubi

ubi id flagitasset sermonis occasio. v. c. I. 13. 15. IV. 21.

Quomodo fieri potest (ita ratiocinatur Vir Clariss.) ut credentes adversus haereses commonefaciens. c. VI. nunquam tamen provocet ad doctrinam suam, a qua recedere non debeant &c.

γ. Solet Ecclesias, in Epistolis ad notas sibi datis, suò testimonio laudare.

δ. Solet gratò animò commemorare beneficia accepta &c.

Exemplo sit Philipp. IV. 10. 15. Quis crediderit *Ephesios*, qui summo studio expectaverunt *Paulum*, uti videre est Act. XVIII. 20. *Paulum* nullo beneficio adstrinxisse? Vel *Paulum* ingratorum instar, si ad eos scripsisset, oblivioni quasi tradidisse, quae acceperat.

ε. Neminem nominatim salutat

§. 25. b. Speciatim, talia reperiri in ista Epistola, quae ad *Ephesios* scribi minùs conveniens videri queat. (vid. pag. 40)

(α) Epistola haec in eodem argumento, eodem ordine, eadem, in plerisque, vel synonyma dictione, atque totius sermonis similima quadam conformatione decurrere, quibus illa ad *Colossenses*. Parum credibile *Paulum* scripturum fuisse, tam germanas literas, ad duas Ecclesias; quarum altera sibi notissima, altera ignota.

(β) Continet quasi systema Religionis. Uti illae ad *Romanos* & *Colossenses*: ignotas sibi eousque Ecclesias. Ad notas autem potius de specialibus quaestionibus scribere solitus erat. Videtur igitur & haec non ad *Ephesios*, quos de systemate totius Religionis abundè erudiverat, scripta esse; sed ad ignotos formam doctrinae ipsius scire cupientes.

(γ) Epistola haec admodum blanda est, observante Hieronymo, in qua nullum durius dictum, nullum severitatis indicium. Hinc ita argumentatur Cl. *Vitringa* pag. 42. Si *Ephesi* puritatem doctrinae ita fuerint tuiti, non potuit non eos impensè laudasse. Si quidam desciverint, nonne eos corripuisset? Et bonos ab illis cavere iussisset. Sed quia illis ignotus, quique sua ope nunquam usi erant; TANTUM juris sibi in ipsos sumere non poterat, neque audebat, quantum in aliquam sui laboris aut cultus Ecclesiam.

§. 26. Ultima tandem nota, vel circumstantia, quae Cl. *Vitringae* persuadebat, hanc Epistolam non ad *Ephesios*, sed ad alios, sibi

& *Timotheo*, *Pauli* Comiti, hactenùs ignotos scriptam esse, haec est pag. 42. Quod *Timothei* nullam mentionem fecerit; Neque ipsum ceu *Ephesi* degentem salutet; Neque in titulo ejus, tantquam qui secum esset, nomen exprimat: Cum tamen *Colossensibus* & *Philemoni* utcumque ignotis scribens, id honoris faciat *Timotheo*, ut etiam litteras ab ipso inscribat. Uti quoque *Romanos*, similiter ignotos, a *Timotheo* salutat. An ad *Ephesios* scribens *Timothei* non fecisset mentionem, cui curam illius Ecclesiae commiserat, qui istius Ecclesiae Episcopus antiquis est creditus?

§ 27 Quartam denique argumentorum classem, testimoniis antiqui temporis hominum, qui factum nosse potuerunt, & fideliter referre, constantem adducit pag. 43. & seqq.

Ducit hoc agmen *Marcion* famosus Saeculi Secundi haereticus, citans satis longam pericopam ex Epistola *Pauli*, quam ad *Laodiceos* vocat, quae pericopa verbotenus legitur in hac ipsa Epistola nostra, quae ad *Ephesios* dicitur. Unde liquet (inquit Vir Clariss.) „*Marcionem* Epistolam nostram legisse sub titulo ad *Laodiceos*. Teste Tertull. contra *Marcionem* lib. V. cap. XI. & XVII.

Hisce locis ex Tertulliano addi vult Cl. *Viringa* Epiphanium haeres. XLII.

Hoc igitur *Marcione* sic teste laudato, & asserto *Tertulliani* aliquo pacto *Epiphani* narratione confirmato, pag. 43. & 44. progreditur ad fidem ejus, hac saltem in parte, asserendam. Observat nimirum, quod „*Acer Marcionis adversarius Tertullianus*, „*accuset ipsum interpolationis; sed ad disputationem de re rediens*, „*nihil de titulo interesse dicat*, cum ad omnes Apostolus scripserit, „*dum ad quosdam*. Posterius hoc adprobat Cl. *Viringa*. Laudatque Illustr. *Grotium*, qui dixerit: *Credibile esse, fide Ecclesiae Laodiceae sic legisse Marcionem: nam cur in ea re mentiretur nil fuisse causae*. Hanc rationem *Grotii* non tantum adprobat Clariss. *Viringa*; sed ulterius quoque hac ratiocinatione confirmat, quod *Marcion* non scripserit ad fidem hujus Epistolae elevandam, sed eam agnovisset, in suo Ἀποστολικῷ retinuerit, ac dogmata sua ex ea se demonstrare posse videri voluerit.

§. 28. Porro, cum durum videri posset *Marcionem* opponere omni-

omnibus antiquis Patribus, omniumque M. S. S. fidei; negat Cl. *Viringa*, a se id fieri. Sed considerandum vult:

a. *Marcionem*, seculi secundi maturum scriptorem, Sinopensem, adeoque in vicinia Laodiceae natum & versatum, Epistolam hanc Laodicensibus adscribere, eo tempore, quo facile mendacii coargui poterat, nulla ipsi existente mentiendi causa:

b. *Basilium* lib. II. adversus *Eunomium*, & *Hieronimum* Comment. in Eph. I. r. candidè fateri, in antiquissimis M. S. S. non reperta a se fuisse in inscriptione cap. I. r. verba: ἐν Ἐφεσῶν.

c. Et postliminio (ex rationibus ante allatis) apparere non ad *Ephesios* esse scriptam: quin potius ad *Laodicenses*. Atque hoc pacto concludit *Marcionis* & Codicum antiquorum fidem vehementer attolli.

§. 30. Tandem pag. 45. sic perorat Cl. *Viringa*:

Atque hoc ipsum argumentum, quod sic forma actionis non temerè adhibetur, non minus feliciter forma defensionis adhibetur, adversus unam, quae hic sola gravis est, objectionem, quae ex auctoritate Antiquorum, codicumque M. S. S. in titulum *Ephesiorum* consentientium, depromitur. Efficit ut pro communi sententia stet praesumptio, eaque gravis & legitima, nisi obstant graviora; si vero talia sint praeponderare debent.

Haec autem graviora Clarissimo *Viringae* videntur, testimonia modo memorata. Quod in hunc modum ostendere conatur: p. 45. Cum enim (inquit) Antiqui scriptores fateantur, antiquissimos Codices *Ephesiorum* nomen heic non praeferre, *Marcione* etiam diversum asserente, vel dum, ipso illo tempore, inquam, res sub suspicionem cadebat, inquirenda erat. Qui autem post aetatem *Hieronimi* descripti sunt Codices in hoc iudicium venire non poterant.

Hisce positis fundamentis, & observato quod nunc nullum habeamus codicem ad *Hieronimi* aetatem assurgentem, pronunciat Codices M. S. S. aetate *Hieronimi* recentiores ab hoc iudicio excludi. Saeculo IVto (inquit) jam dissidebant Codices. Alii *Ephesios* adscribebant Epistolam: alii dubitabant; *Ephesii* non dabant, relicto spacio vacuo, ubi alii ἐν Ἐφεσῶν legebant.

Ergo (inquit Cl. *Viringa*) tum lis erat dijudicanda. Priores Codi.

Codices numero procul dubio praevalebant. Posteriores ab antiquitate se commendabant. Discrimen inter utramque causam tanti tum non erat. Quaestio in id resolvebatur: Utrum ex primis illis duobus apographis (ex quibus deinceps per quam plurima alia exempla diversam hanc lectionem propagarunt, librarii) antiquius fuerit & potius?

Patres se fundabant in suis Codicibus.

Ephesii hunc honorem sibi procul dubio validè vindicabant.

Numerus definire non poterat. Fieri enim facile poterat, & factum est saepe, ut non accuratissimum exemplar frequentius descriptum sit, quam melius.

Quid ergo? inquit Cl. *Viringa*, Respondetque: Seponi debuisset a *Basilio* & *Hieronymo* auctoritas Codicum, utp. dissentientium. Atque aliae conquiri rationes, quibus lis inter eos dirimeretur. Quod si fecissent, palmam dare debuissent antiquis illis, etsi paucioribus Codicibus. Se igitur rationibus, non probabilibus tantum, sed manifestis, praeferre Codices illos antiquos, modestos, pluribus aliis, qui ipsorum tempore temerè ferebant *Ephesiorum* nomen. Sibique cum M. S. S. omnibus, quae nunc circumferuntur, nihil negotii esse; utpote seris testibus atque testimonium mutuantibus ab illis, quibus jam olim litem intentarunt, diversi.

Fidei librariorum praeponderare debere urgentissimas rationes. De modo, quo vox *Ἐφεσῶν* jam maturè irrepsit, se suam sententiam aperturum ad seq. dissertationem, promittit. Atque concludendo gloriatur, neque *Fabricium*, neque *L'Enfantium* ullum locum produxisse, quem vel *Ephesios*, vel notos arguere, sustinuerint.

§. 31. Haec est summa & prioris, & secundae partis dissertationis Cl. *Viringae* contra titulum Epistolae ad *Ephesios*.

§. 32. Examinemus nunc quanta possumus *ἀνεκείνη* rationes, quibus Cl. *Viringa*, post *Millium* (cujus argumenta etiam adhibuit, urfit, amplificavit, & quantum potuit vindicavit) probare contendit, hanc *Epistolam* scriptam non esse ad *Ephesios*; sed ad *Ecclesiam*, quae faciem Apostoli non viderat, quod illo tempore, quo hanc *Epistolam* exarabat, de *Ephesiorum* Ecclesia dici non poterat.

Con-

§. 33. Concedimus ultro Viro Clarissimo, quod hanc Epistolam scripserit Apostolus e vinculis Romanis. Quod suo loco probatum dabimus. Cel. Viri quoque argumentis ad id adhibitis.

§. 37. Sed quae altera pars est hypotheseos Chronologiam spectantis, Viri Celeb. nimirum, quod e vinculis Romanis prioribus data sit; me assentientem non habet. De tempore quidem, more nostro, agemus suo loco. Hic tamen, quoniam Cl. *Viringa* hac hypothesi, ad impugnandum titulum Epistolae ad *Ephesus*, utitur, quaedam anticipanda erunt.

§. 35. Vidimus. V. Cl. ut probet hanc Euistolam, non e postremis, sed e prioribus vinculis esse missam; contendere hanc nostram & illas ad *Colossenses* ad *Philippenses* & ad *Philemona*, eopse ferè tempore scriptas. Has autem e prioribus vinculis scriptas esse, multis probat, neque me habet dissentientem: Illa autem, de qua nos nunc disputamus, eju dem esse temporis, minimè agnosco. Neque hoc probant argumenta Viri doctissimi.

(a.) Quod nostra, de qua agimus, & illa ad *Colossenses*, per eundem *Tychicum* sit missa; imbecillum est, tantum non fatente ipso Viro Cl. argumentum.

Addi igitur vidimus a Viro Celeberrimo alterum. Nimirum:

(β.) Quod Epistola, quam nos ad *Ephesus* dicimus, & illa quae ad *Colossenses* scripta est, ejusdem sit argumenti.

Verum, plus differentias inter utramque ego deprehendo, quam Vir Clarissimus. Nihil in nostra de philosophia traditiva, nihil de judicio in causâ cibi & potus, & Sabbathi & neomeniae. Nihil de abstinentia illa sive Judaica, sive Pythagorica; nihil de cultu Angelorum &c. quae tamen quartam fere partem Epistolae ad *Colossenses* implent.

Sed demus tantam esse inter utramque convenientiam, quantum Vir Cl. in eis cernere sibi videtur; Quid inde ad probandam temporis identitatem extundetur? An non id, quod hoc tempore ad *Colossenses* scribere jubebat occasio & status Ecclesiae, post aliquot annos postulare potuit similis fere ratio, ut ad *Ephesus* aliosve scriberetur. Et quidem eodem ordine, magna phrasium similitudine; in qua tamen & ipsa differentiam cernere licet.

§. 36. Neque plus roboris habet, quod additur in utraque Epistola eandem conditionem, eundem statum scriptoris, gemina dictione significari.

Nam ipsemet Vir Cl. agnoscit gemina nostri Apostoli vincula. Quae cum Scriptorem bis & diverso quidem tempore faciant in simili haecenus statu constitutum, simili dictione quoque exprimi, diverso licet tempore, potuerunt.

Quod denique idem tabellarius, simili commendationis formula laudetur, nihil facit ad temporis ceu ejusdem notationem.

§. 37. Quamvis autem in hoc dissentiam, convenit tamen inter Virum Cl. & me, quod Epistola, quam ad *Ephesios* dicimus, scripta sit, postquam *Paulus*, per triennium, atque adeo longo satis tempore, inter *Ephesios* docuisset. In quo praecipuum ratiocinationis suae fundamentum ponit Vir Celeberrimus.

§. 38. Sed id nunc dispiendum erit, an hinc sequatur, hanc Epistolam non recta ad *Ephesios* esse datam. Hoc ut ex Chronologica hac hypothese eliciat, probare annititur Cl. *Vuringa*, hanc epistolam tales pericopas continere, e quibus pateat, quod non ad *Notos* scripta sit; Quod si firmo stet talo, res ipsa clamat nequaquam ad *Ephesios* illam directè pertinere.

Inter pericopas, quae a *Noto* ad *Notos* scribi non poterant, primo loco refert Eph. I. 15. 16. ubi *Paulus* dicit

Διὰ τῆς κατὰ ἀνάστας ἡ καὶ ὑμῶς πίστευ ἐν τῷ Κυρίῳ Ἰησοῦ, ἡ ἡγάπη ἐστὶν πάντας τῆς ἀγίας, ὅτι παύσαμεν θυγατρῶν ὑπὲρ ὑμῶν, μυσταῖς ὑμῶν ποιεῖμεν ἐπὶ τῷ μυστηρίῳ μῶν, ἵνα ὁ Θεὸς &c.

Ex his verbis ita ratiocinatur.

Apostolus non auditione compertum habebat, sed viderat *Ephesios* homines esse, qui fidem in Christum susceperant. Ergo ad *Ephesios* scribere non potuit, ἀνάστας ἢ καὶ ὑμῶς πίστευ.

§. 39. Ego vero non video satis firmam esse hanc consequentiam. An *Paulus*, qui *Ephesii* Evangelium, insigni cum successu praedicaverat, non poterat, post annorum aliquot intervallum, in quo non absque variis tentationibus eos fuisse credibile est, & in quo plures decessisse, pluresque Ecclesiae *Ephesinae* accessisse potuerunt, scribere se *audire fidem quae in eis erat*?

Notari autem velim, multum differre id quod Apostolum dicentem facit Cl. *Vuringa*, ab eo quod dicit.

Aliud est: *Audire Ephesios homines esse, qui fidem in Christum susceperant*, Aliud: *Audire fidem, quae in eis erat*.

Prius;

Prius, concedo Apostolum non fuisse scripturum, ad illos, inter quos diu cum fructu laboraverat: Posterius (quod significat celebritatem fidei ipsorum, quae etiam Romae praedicabatur) quo minus *Paulus*, qui in vinculis erat, scribere potuerit, se *audire*, eo-que nomine Deo gratias agere, nullus video Frustra mihi objiciet aliquis, id quod *Vir Cl. Grotius*, hoc de perseverantia in fide interpretanti, objicit; Scilicet; Frigidam hanc fore laudationem suorum *Ephesiorum*, nullâ mentione interjectâ constantiae fidei ipsorum, quam ipse erat expertus.

Respondeo enim, primo non ad *laudationem* adeo tendere verba Apostoli, sed ad indicationem occasionis, quae ipsum stimularet ad perseverantiam in gratiarum pro illis actione, & ad illas inprimis preces cum gratiarum actione jungendas, quas mox subjicit versibus 17. 18.

Secundò, Frigidam non esse laudationem, quando Apostolus, cum *Romae* esset, & quidem in vinculis, scribit, se, *audire* *ita* *ut* *αὐτῶν* *πίστιν*.

At dices: Quare nullam injicit mentionem fidei, quam coram in ipsis expertus erat? Respondeo: Non teneri me indicare rationem, quare hoc illudve non scripserit Apostolus, qui duce & inspiratione Spiritus Sancti, scripsit: Sufficere, si nulla demonstretur necessitas illud scribendi.

Proxima, Apostolum stimulans ad gratias & preces illas ad **DEUM** fundendas, occasio erat, quod celebrari & laudari, vel in ipsa urbe *Roma*, vel in ipso carcere, *audiret*, *illam*, *quae* *in* *eis* *erat*, *fidem*. Hanc commemorasse sufficere visum est Spiritui Sancto, & ejus ductu, ipsi Apostolo.

Neque omni consideratione indignum est, quod illo, quo absens ab *Ephesibus* Apostolus fuerat tempore, plures *Paulo* etiam ignoti, Ecclesiae *Ephesinae* fuerint adjuncti, de quorum fide quoque audiverat.

Non quasi hos solos respiciat Apostolus, quando dicit *αὐτοῖς* *ἵνα* *καθ'* *ἡμῶν* *πίστιν*. Quo pacto hanc exceptionem sibi solvendam proponit *Cl. Viringa*, sed quam nostram non facimus. Agnoscimus enim *Viri* *Cel.* responsionem: *Apostolum* *litteras* *scribere* *ad* *homines* *corpore* *aliquod* *constituentes*. *Ab* *omni* *autem* *abhorre* *sermonis* *&* *litterarum* *consuetudine*, *ut* *si* *in* *communitate* *hominum* *pauci* *alicui* *ignoti*

ignoti sint, societas ipsa notissima, cui & ipse praesuerit, ita se gerat erga universos, quasi sibi nunquam visi essent, & nonnisi auditione ac rumore noti.

Haec autem ratiocinatio nos non ferit. Id tantum dico: *Paulum* rectè scribere potuisse ad *Ephesios*, & quidem tanto magis, quod multi post discessum suum fato functi fuerint, multi vicissim istius Ecclesiae accessio facti, se audire fidem, quae inter illos erat, cujus fama & celebritas jam in ipsam urbem *Romam* penetraverat, atque hac gratissima sibi fama excitari ad continuationem in gratiarum pro illis actione, & precum pro illis fusione.

§ 40. Sed nova instantia hunc nodum adstringit, eaque duplici. Sic solere *Paulum* ad ignotos loqui, nunquam ita ad Notos. Prius membrum probat ex collatione locorum *Coloss. 1. 3. 4. Philem. 4. 5. Rom. 1. 8.* Ubi ad sibi nunquam visos scribens vel ipsissimis, vel in eundem sensum exeuntibus verbis utatur, qualibus eum uti videmus. *Eph. I. 15. 16.*

§ 41. Verum, etiamsi hoc daretur, non satis tamen forte esset telum, ad *Ephesios* de suo in hanc Epistolam jure deturbandos. Nisi probetur, haec verba soli de ignotis sermoni quadrare. Possum enim aliquid de ignotis audire, possum simile quid de notis audire, quod utrumque mihi gratum sit, & DEO gratias agendi materiam suppeditet. Imò verò tanto minus stringit hoc argumentum, quandoquidem non plena hinc & perfecta reperitur convenientia.

Tribus illis citatis locis, Apostolus, mox post votum partem inscriptionis faciens, dicit: *Ἀχαίῶν - - - ἀιέτας.*

At in nostro loco, mox post votum: *Ἐυλογητός ὁ Θεός - - - ὁ βλογήσας ἡμᾶς* &c. ubi nihil de auditione sola cognita eorum fide legimus, sed illam ab Apostolo, absolutè ut sibi satis perspectam 14 verbis prioribus, & versu quidem 13. conceptis verbis laudari videmus. Versu, insuper, 15to & 16to nostrae Epistolae non simpliciter, uti locis modo memoratis, dicit *Ἀχαίῶν* sed & *παύομαι ἀναχαίτων.* Quale quid locis citatis non legimus. Significat scilicet Apostolus, se jam dudum, quando suo ministerio ad Christum convertebantur, & quando eos denuo invisebat, pro illis gratias egisse; sed se nunc, cum audiat etiam *Romae* fidem illorum, novo stimulo incitari, ne ullatenus desinat pro illis

illis gratias agere. Ubi (liceat mihi vicissim quaerere) *Paulus* sic ad ignotos loquitur; ut, laudata antea eorum fide, per quam benedictionum spiritualium facti erant compotes, denuò dicat, *audita quae in vobis est fide, non desino gratias pro vobis agere?*

Verum est, quod in Epist. ad Coloss. c. I. 9 Apostolus dicit *ἐπαινεῖται ὑπὲρ ὑμῶν ἐν οὐρανοῖς*. Sed etiam haec differunt. Apostolus, cum *Epaphras* illis Evangelium praedicatum iret, pro illis, ut admitterent & fide amplecterentur Evangelium, oraverat, sed auditâ eorum fide pro ipsis gratias agebat, & orare non desinebat. Sed ad *Ephesios* quod attingit, DEO benedixerat, quod illos una cum Judaeis, benedixerat, quodque illos credentes Spiritû obsignaverat. Sed insuper testatur, se, *audientem fidem, quae in illis erat, NON DESINERE gratias pro illis agere.*

§. 42. Alterum autem instantiae suae membrum, nunquam *Paulum* ita ad notos loqui solere, *Cl. Viringa* firmat exemplis desumptis ex Epistolis ad Philipp. I. 3-6. 1 Thess. I. 2. 3. 2 Thess. I. 3. 1 Timoth. I. 3. 2 Timoth. I. 5.

§. 43. Vis argumenti, si quid video, in eo sita est, quod locis citatis, non dicat Apostolus *se fidem illorum audivisse*, sed ostendat potiùs se illam compertam habere. Certe nullam aliam differitatem, quae huc faciat, in priori loco deprehendo. Haec autem nulla est. An non satis clarè innuit, se *fidem* illorum, ad quos nostra Epistola data est, compertam habere, quando c. I. versu 13. dicit: *ἐν ᾧ ἡμεῖς ἀκούσαντες τὸ λόγον τῆς ἀληθείας - - ἐν ᾧ ἡμεῖς πιστεύσαντες ἐσφραγισθητε &c.*

§. 44. Neque multo major vis est in reliquis. Verum est, quod expressis verbis in illis Epistolis testetur Apostolus, quod inter illos, ad quos scribebat, versatus sit, quodque eos ad fidem *Christianam* converterit. Quod in nostra non legimus expressum. Sed inde firmiter concludi non potest, quod nostra ad ignotos sit scripta. Suam inter *Ephesios* conversationem (postquam nunc plures anni elapsi erant, quamque illis, saltem presbyteris eorum, ad se evocatis, graviter & seriò ob oculos posuerat, Act. XX. 17-21. postquam e prioribus vinculis liberatus, ad eos iterùm fortè inviserat, relicto ibi *Timotheo* 1 Timoth. I. 3. III. 14. 15.) denuò commemorare necesse non duxit Apostolus; neque Spiritus San-

aus cujus ductu scribebat ; cujus rationes omnes perrimari nostrum non est : Neque tamen sic cogimur hanc admittere consequentiam : Apostolus in nonnullis Epistolis ad credentes, cum quibus versatus erat, datis, istius suae conversationis mentionem facit ; in hac autem, de qua disputamus Epistola, id omittit ; ergo haec data est ad Ecclesiam quandam, nunquam sibi visam.

§. 45. Videamus an fortior sit nodus, qui nequitur ex verbis nostrae Epistolae cap. III. 2. *Εἰς ἡμετέρας ἢ ἀνομοίας ἢ χάριτος ἔσθαι ἢ δεύσις μοι ἐς ἡμᾶς.*

Haec verba ita accipit Clarissimus *Vüringa* ut censeat, verba *Εἰς ἡμετέρας* esse dubitantis vel quasi dubitantis ; non equidem ex incertitudine, sed ex modestia inta scribentis. Haec tamen verba innuere fieri posse, ut hoc non audiverint. Verba autem *ἢ ἀνομοίας τῆς χάριτος ἔσθαι ἢ δεύσις μοι ἐς ἡμᾶς* intelligat de ipso munere Apostolatûs. Quibus ita positis, in hunc modum ratiocinari licere videtur :

Paulus tribus annis, ut Apostolus, Evangelium inter *Ephesios* praedicaverat, multis sui Apostolatûs documentis, iisque luculentissimis, editis. Ergo ad *Ephesios* non potest scripsisse, si modo *audiuistis* munus Apostolatûs in me esse collatum, vel me, *Divina Gratia*, munere Apostoli fungi.

§. 46. Fateor hoc argumentum vix infringi exceptionibus, quas refutat Cl. *Vüringa* ; tum Illustris *Grotii*, qui interpretatur, ac si *Paulus* dixisset, si modo rectè intellexistis doctrinam meam. Tum Cl. *Cocceji*, haec verba speciatim referentis ad illos *Paulo* ignotos, qui se, absente Apostolo, Ecclesiae *Ephesinae* junxerint. Quamvis autem hisce exceptionibus uti nolim, nequaquam tamen inexpugnabile existimo hoc Cl. *Vüringae* argumentum. Prorsus enim evanescit omne illius robur, si particulas *εἰς* vertas per *Quandoquidem* ; quo sensu manifestissimè sumi debent apud *Lucianum* in *Terpsione* in principio pag. m. 270. edit. *Graevii*. Et apud *Aelianum* Var. histor. III. c. 17. p. m. 210. edit. *Periz*. uti quoque optimè accipitur 2 *Cor. V. 3*. Sic dicit Apostolus : Quandoquidem tum ex me, tum ex alius, *audiuistis* oeconomiam gratiae mihi datae. Sed etiam si liberales esse velimus & concedere, subdubitanter loqui Apostolum ; tamen non sequeretur Viri Clarissimi conclusio.

Ad.

Admittenda enim nequaquam videtur ejus hypothesis, *ἢ ὁμογενείαν τῆς χάριτος τῆς δωροῦσας αὐτῶν* proprie & directe vel unice significare Pauli Apostolatam. De quo an audiverint dubitanter scribere non potuisset illo tempore, fateor, ad *Ephesios*. Sed neque ad *Laodicenos*. Inficeta profectò mihi videtur Apostolo sic tribui modestia. Cum enim Apostolus dicatur, *διεσχόμην* - - - *φρυγίαν Ἰταλίαν καὶ πάντα τὰς μαθητάς*. Act. XVIII. 23. idque postquam Apostolatū jam pluribus annis functus esset, & per totam Asiam celebris factus, quam simulata videri debuisset *Laodicenis* modestia, si dubitanter ad eos scripssisset: *Si modo audivistis me Apostolum esse*. Perno igitur hunc esse verborum *ἢ ὁμογενείαν τῆς χάριτος τῆς δωροῦσας* sensum: Si modo audivistis me gratiosa DEI dispensatione Apostolum factum esse.

Sed *ὁμογενεία τῆς χάριτος* significat dispensationem gratiae. Atque sub se comprehendit, omnem donorum gratiae ad executionem Apostolatūs necessariorum largitionem, omnemque ductum Spiritūs DEI, per quem, ita ut veritas utque temporis ratio & prudentia requisita postulabat, se gerebat ad concreditum sibi Apostolatam decenter exequendum. Per hanc *oeconomiam* factum erat, ut (eo annitens ut *Judaeos* quantum pote Christo lucraretur, *Gentiles* autem Ecclesiae primum ex *Judaeis* colligendae infereret, & discrimen inter utrosque sublatur demonstraret) malitia hostium in carcerem coniectus sit, neque tamen unquam *παρρησίαν* in praedicando Evangelio abjecerit; Liberatus e vinculis denuò nec minus strenuè in id iterum incubuerit, atque sic iteratò catenis vinciretur, non minus quam olim summā fiduciā causam Christi agens, Gentes convertere allaborans, conversasque in Christo confirmare.

De hac *oeconomia* gratiae, subdubitare, vel ex modestia quasi dubitanter dicere poterat Apostolus non minus ad *Ephesios*, quam ad quosvis alios, a quibus absens erat, vel jam dudum fuerat: *Si modo istam oeconomiam gratiae mihi in vestrum, aliarumque Gentium ornamentum datae, audivistis*. Hoc sensu si sumatur hoc comma, optimè cohaerebit cum versu primo; quo affirmaverat se esse *Διότριον ἢ Χερσῶ Ἰησοῦ ὑπὲρ τῶν Ἰβνῶν*.

Talem agnitori erant Paulum nostrum, atque hoc pacto futurum.

ut non se negnerent ob afflictiones ipsius; quod ab ipsis petit eosque hoc capite. versu 13. *Si modo audiverint illam gratiae ipsi concessae economiam*, per quam ita se gesserat, zelo cum prudentia conjuncto, ut non ob crimen, sed ob fidelitatem in exequendo munere, ad Gentes ejusdem salutis, quae ex *Judaeis* erat, participes faciendas, vinculis illis erat constrictus.

Atque eâ fini versibus seqq. nonnulla de suo Apostolam commemorat, non quasi illa ipsis essent ignota, sed ut eo fortius animos eorum afficeret, eisque insinuaret, quid de vera causa suorum vinculorum statuere deberent.

§. 47. Hoc pacto commemoratio quoque sui Apostolatus non arguet ipsum ad ignotos scribere. Saepius enim videmus Apostolum nostrum etiam ad notissimos scribentem, ad urgendum suum propositum, Apostolatum suum eis, ad quos scribebat, ob oculos ponere: Quod ex Epistolis ad *Galatas*, ad *Corinthios* atque ad *Timotheum* constat, neque Cl. *Viringa* inficiatur.

§. 48. Non major est difficultas in altero loco, ubi pariter dubitanter loqui creditur Apostolus, de re, quam si ad *Ephesios* scripsisset, compertam habuisset Apostolus. cap. IV. 21. Quibus verbis Cl. *Viringa* existimat Apostolum suam sollicitudinem indicare, an doctrina salutaris pura & intaminata ipsis praedicata esset? Qualis sollicitudo in animo ipsius residere non potuisset, si ipsemet illis Evangelium praedicasset. Unde conficit, non ad *Ephesios*, imò non ad ullam Ecclesiam, in qua ipse Apostolus Evangelium praedicaverat, hanc Epistolam scriptam esse. Exceptionem, quam praeyidet Vir Cl. scilicet. Apostolo *audire* idem esse quod *benè percipere*, *intelligere*, ita refutare conatur, ut i. observet, *audire*, quando notat *rectè intelligere*, non excludere primum significatum: Sed hoc (pace Manium Cl. Viri dixerim) nihil ad rhombum. Non enim hinc sequitur, subdubitationem Apostoli se ad utrumque extendere. Certè Apostolus supra c. I. 13. 14. 15. ita laudaverat fidem hujus, ad quam scribebat, Ecclesiae; ut concipi non possit, Apostolum dubitasse, an *audiverint Christum*, id est, an annunciatum eis sit Christus? Sed, ad summum, an ille auditus in illis hoc effectus, ut rectè perciperint & ad animum revocaverint.

Addit igitur, non praeter necessitatem, Vir Clarissimus, Apostolum

stolum dubitare non potuisse, an Ephesii rectè perceperint doctrinam Evangelii, cum triennali institutione ipsorum factus fuerit familiaris.

Quae ipsa tamen responsio mihi non videtur satis stringere. Per rō *Christum audire & in ipso edoctum esse, sicuti veritas in Christo est*, videtur intelligere Apostolus, doctrinam de Christo ita percipere, ut veritatem, in ejus communionem cognoscerent, cum sancto amore ejus, prout *veritas in Christo est*, tendens ad glorificandum DEUM. Verbō dicam, intelligit cognitionem sanctificantem & salutarem. De qua subdubitare poterat Apostolus, quamvis ad Ephesios scribens; non quidem de omnibus, at de quibusdam, maximè de multis post suum discessum, Ecclesiae junctis. Neque de omnibus, ad quos haec Epistola data est, dubitavit Epistolae Auctor; quod palam est ex Eph. I. 12. 13. 15. II. 1. &c. Sed de nonnullis dubitare poterat; tum quod corda inspicere non posset, omnesque hypocritas a sinceris discernere; tum, quod accesserint, quibus nunquam familiariter usus fuerat. An non similem ferè in modum loquitur ad Corinthios? 2 Cor. XII. 20. Quae, nisi admitta ista vel simili distinctione, vix & ne vix quidem conciliabilis cum 1 Cor. I. 4-10.

Sed quid si negem, illud *εἶπε* hoc loco dubitantis esse? Sed potius dicam esse ratiocinantis & confirmantis? Quo pacto optimè cum versu proximi praecedenti cohaerebit.

§. 49 His nodis solutis, videamus an reliqui magis stringant. Causatur Vir Doctissimus talia in hac Epistola desiderari, quae non potuerint omitti ex consueto *Pauli* ad notos scribendi more, & ipsa rei natura. Quod ut probet, observat:

(a) Nullam hic suae familiaritatis, & longae cum ipsis consuetudinis, mentionem facere Scriptorem.

Verum hoc est; Sed quare non licuit eam omittere? Cum jam plures elapsi essent, ex quo *Epheso* discesserat, anni; Cum illis suae inter *Ephesios* conversationis satis amplam mentionem jam dudum fecerat in sermone suo Valedictorio, *Miletis* ad eos habito. Cum post illud tempus *Ephesum* fortè iterum transierit, certè *Timotheum* ibi reliquerit, ubi supra vidimus. Cum, denique, tempore illo intermedio plures, quibus familiariter usus fuerat, diem suum

obuisse potuerunt. Nihil igitur hoc negativum argumentum valere mihi videtur.

§. 50. Robur tamen ei addere conatur, ex eo

(β) Quod nusquam indicet, se illis praedicasse Evangelium, etiam ubi id flagitasset sermonis occasio. cap. I. 13. IV. 21. Respondeo, negari non posse, occasionem sermonis permisisse, ut diceret, *Evangelium* quod eos *audivisse* testatur, & credidisse, a se fuisse praedicatum: Sed recte negari, sermonis occasionem id flagitasse, ut hoc, illis adeo notum, repeteret.

§. 51. Sed, instat Cl. *Vitringa*: Quomodo fieri potest, ut credentes adversus haereses commonefaciens, cap. VI. nunquam tamen provocet ad doctrinam suam, a qua recedere non deberent &c.

At rehero, Apostolo satis fuisse visum, sermonem quem audiverant, vocasse *Sermonem Veritatis Evangelium salutis ipsorum*; atque *verbum DEI* ut *Gladium spiritus commendasse* cap. I. 13. VI. 17. necessarium autem non duxisse, conceptis iterum verbis dicere, quod ipse primus fuerit Evangelii apud ipsos Minister. In primis, si statuamus, quod facile fieri potuit, tempore scriptiois hujus Epistolae, plures jam inter *Ephesios* credentes fuisse, qui ipsum *Paulum* non audiverant.

§. 52. (γ) Nondum tamen hoc argumentum negativum dimittit Celeb. *Vitringa*.

Solet (inquit) Ecclesias in Epistolis ad sibi notas datis suo testimonio laudare. Quod hic non facit.

Imo contrarium ego affirmo. An non laudat *Ephesios*, quando dicit, ipsos *audivisse sermonem* &c. Eph. I. 13. vid. quoque versum 15. II. 1. 13. 19.

§. 53. (δ) Cavendum tamen erit, (quae quarta est Viri Clarissimi instantia) ne *Paulum* ingratitude accusemus, quod facere videtur recepta, de hac Epistola ad *Ephesios* data, opinio. Si *Paulus* ad *Ephesios* scripisset, gratias (ut opinatur Cl. *Vitringa*) agere in hac Epistola debuisset, pro beneficiis, quibus eum illi obstrinxerant; Quod colligere liceat, ex tenerrimo, quod erga *Paulum* erant, amore; uti constat ex Act. XVIII. 20. addere per me licet versus 27. 28.

Verum enimvero, si ita ratiocinari liceret, prima ad *Corinthios* quoque ad Ecclesiam aliquam, in qua *Paulus* vel non, vel non

multum laboraverat, scripta dici deberet. In illa enim nulla gratiarum actio concipitur. Secus tamen hoc se habet. Act. XVIII.

Sed sciendum est, *Paulum* nisi urgente necessitate, noluisse beneficiis obstringi.

Ipsemet sic ad *Ephesios* protestatur, uti legimus Act. XX. 33. *Argentum, & aurum & vestem nullius concupivi. Sed ipse nostris, visibus meis & eis qui mecum sunt, manus istas ministrasse.* Si quid gratiarum, ex humanitate, agendum fuisset, in sermone isto valedictorio, vel per *Timotheum*, id commodius factum fuisset, quam in Epistola post complures annos scripta.

Neque nobis obstat gratiarum actio, quae in Epistola ad *Philippenses* occurrit. Alia est ratio. *Philippenses* ad *Paulum* captivum quaedam curaverant; uti antea quoque illi soli communicaverant *Apostolo* in rationes dati & accepti. Philipp. IV. 15. Tum demum hoc argumentum Viri Clarissimi concludet, cum demonstraverit, parem rationem *Ephesios* gratias post tot annos agendi habuisse *Paulum*, atque habuit hoc humanitatis officium *Philippensibus* praestandi.

§. 54. (e) Ultimo loco desiderat Cl. *Vitringa* salutationes nominatim factas, si haec Epistola ad *Ephesios* fuisset missa.

Sed qui praestabit Vir Cl. illos, quos nominatim salutare debuisset *Apostolus*, eo, quo hanc Epistolam scripsit tempore, in vivis adhuc & *Ephesi* praesentes fuisse?

§. 55. b. Uti autem ex omissis, non omittendis, si Epistola ad *Ephesios* scripta fuisset, argumentari vidimus Virum Doctissimum; sic vicissim ex illis, quae minus convenienter ad *Ephesios* scribi eo tempore potuisse opinatur. Huc refert

(*) Identitatem hujus Epistolae, & illius quae ad *Colossenses* data est. Parum credibile, inquit, *Paulum* scripturum fuisse tam Germanas litteras, ad duas Ecclesias, quarum altera sibi ignota, altera notissima. De qua supra praetensa identitate quoque dictum est.

At, ibi jam monuimus, non deesse insignem differentiam. Quinimo, si vel nulla esset, nihil in eo absurdi notari posset, si *Apostolus* ad Ecclesiam sibi notam, & ad aliam sibi ignotam easdem veritates perscripsisset; nisi probari posset, id quod scribebat alteri tantum convenire.

§. 56. Quid si retorqueam hoc argumentum? Quis crediderit Apostolum eopse tempore, ad duas, easque non longè distitas Ecclesias, epistolas adeo germanas scripturum fuisse? Quis non potius, si duas, adeo similes epistolas, ejusdem tenoris & ordinis, & dictionis, ab eodem scriptore exaratas inveniret, suspicaretur, illas ad diversa tempora, & ad Ecclesias longe a se invicem remotas, pertinere? Istiusmodi hariolationes parum habent solidi.

§. 57. At continet, (ita instat Clarissimus *Viringa*) quasi systema Religionis, quale ad *Colossenses* & ad *Romanos*, Ecclesias sibi non visas, scripsit noster *Paulus*.

§. 58. Verum, inquam ego, quid prohibebat, quo minus salutare & fundamentales veritates, etiam notissimæ & a se plantatæ Ecclesiae, post longi fati temporis absentiam, ad scopum, quem occasio postularet, scripto comprehensas exhiberet & animis inculcasset?

§. 59. Parum me ferit Clarissimi Viri dilemma. Si *Ephesii* puritatem doctrinae ita fuerint tuiti, non potuit non eos impense laudasse. Si quidam desciverant, nonne eos corripuisset? Nonne bonos ab illis ut sibi caverent iussisset? Sed hoc inde repetendum, quia in ignotos, quique sua ope nunquam usi erant, TANTUM juris sumere non poterat, neque audebat; quantum in sui laboris aut cultûs Ecclesiam.

Hanc profecto ego rationem planè nullam existimo. Certe ad *Colossenses* & ad *Romanos* ita scribit, ut fati ostendat, & jus & parrhesiam sibi tanquam Apostolo, minime deesse, etiam illa vitia vel haereses taxandi, quae & quas in illas irrepere videret.

§. 60. Quod autem insignem illam Ecclesiae, ad quam scribebat hanc Epistolam, puritatem, non conceptis verbis laudaverit, nihil habet, ex quo concludere liceat, an ad Ecclesiam a se exultam scriberet, an ad aliam sibi ignotam. Imo tanto magis admiratione & laude digna fuisset illa puritas, si in Ecclesia quadam ab Apostolo non plantata neque exulta, spectata fuisset. Sufficiebat Apostolo *Ephesii* id laudis tribuisse, quod legimus Eph. I. 13. 15. & alibi.

§. 61. Ultima autem nota vel circumstantia, ex qua Vir Celebratissimus censet, colligendum esse, ad alios sibi hactenus non adeo notos, atque adeo non ad *Ephesios*, hanc Epistolam scriptam esse, haec est, quod

quod *Timothei* in ea nulla fiat mentio. Cui tamen curam Ecclesiae *Ephesinae* commiserat, qui ejusdem Episcopus antiquis fuit creditus. Hujus tamen neque in inscriptione nomen comparet (quod tamen conspicitur in Epistolis etiam ad *Colossenses* & ad *Philemonem* datis) neque credentes ejus nomine saluantur; quod tamen in Epistola ad *Romanos* factum est. Neque eum ut *Ephesi* commorantem salvere jubet.

§.62. Sed quid inde? Nihil aliud videtur colligendum, quam quod, cum hanc Epistolam scriberet *Paulus*, *Timotheus* neque penes *Paulum* fuerit; neque *Ephesi*. Neutiquam vero ex hoc de *Timotheo* silentio sequitur, quod Epistola ad ignotos sit data: *Romanos* enim, utcumque nunquam sibi visos, *Timothei* nomine cum salutet, (*Rom. XVI. 2.*) Quidni etiam *Laodiceos*, etiamsi sibi minus notos?

§.63. Cum Epistolam ad *Colossenses* in fronte etiam *Timothei* nomine muniverit, quid causae fuisse ostenderet Vir Cl. quare non idem nomen Socii sui *Timothei* posuisset in inscriptione Epistolae ad Ecclesiam vicinam, eodem argumento, quamvis paulo copiosius elaborato, & eoque tempore, & eodem tabellario missam; uti contendit Vir Doctrinissimus? Certe hujus differentiae ratio, non potest in eo quaeri, quod Ecclesia *Laodicensis* sibi & *Timotheo* fuerit nonnisi fama cognita. Idem enim de illa *Colossensium* statuit ipsemet Vir Clarissimus. Neque ulla ratio est credendi *Timothei* celebritatem ad *Colossenses* equidem non ad *Laodiceos* pervenisse: Cum Ecclesiae fuerint vicinae, quae secum invicem Epistolas communicare debebant. Mirari certe, si non offendi debuissent, *Laodicensi*, in capite Epistolae ad *Colossenses* nomen *Timothei* expressum videntes, sed in Epistola ad se data ne uspiam quidem legi ejus nomen, seque ne salutatione quidem ab ipso dignari.

§.64. Prodeat nunc tandem ultimum copiarum Cl. *Viringae* agmen; quod constare vult, testibus, antiqui temporis hominibus, qui factum nosse potuerunt, & fideliter referre. Has copias certe diligenter lustrare juvabit. Ante hoc agmen, famosus seculi secundi haereticus.

§.65. Verum hunc ducem non adeo difficile erit profligare. Primum enim notari velim, *Marcionem* non negasse *Paulum* Epistolam ad *Ephesios* scripisse. Et quidem talem, in qua lecta sint verba,

quae etiam nunc leguntur in Epistola ad *Ephesios*. Ex Epiphanio hoc manifesto constat; ita ut dubitem an Vir Clariss. ipsum inspexerit Epiphanium.

§. 66. En Tibi Lector quaedam excerpta ex isto Auctore.

Et primo quidem Tibi exhibeo locum *Epiphanii* ad quem Clariss. *Vitringa* Lectorem suum remittit. Nimirum haeceli XLII.

Is reperitur lib. I. tom. III. p. m. 309. edit. Petavii.

Narrat ibi *Epiphanius*, quod hic *Marcion* solum *Lucae Evangelium* amplectatur (amputato tamen ejus initio) Et decem *Pauli* Epistolas; quibus solis utatur, sed ne illis quidem integris, alia ex illis capita detrahens, alia commutans.

Epistolas *Pauli*, αὐτῶν λέγουσθαι ἔσθαι, recenset (pag. 310.) *Epiphanius*. 1. Ad *Galatas*, 2. prior ad *Corinthios*, 3. ad *Corinthios* posterior, 4. ad *Romanos*, 5. ad *Thesalonicenses* prior, 6. ad eosdem posterior, 7. ad *Ephesios*, 8. ad *Colossenses*, 9. ad *Philemonem*, 10. ad *Philippenses*.

Addit *Epiphanius*: Ἐκείνη δὲ πρὸς λαοδικείας λέγουσθαι, μέγιστη. Habet autem etiam partes *Epistolae ad Laodicenos dictae*.

Marcionem itaque duobus tantum libris *Canonicis* usum esse, *Evangelio* *Lucae*, sed a se interpolato, & *Apostolico*, uti a *Marcionitis* vocabatur, id est *Sylloge* *Epistolarum Paulinarum*, modo memoratarum, pariter interpolatarum. Vid. *Ephian.* lib. cit. p. m. 317. fin.

Ex hoc *Apostolico*, quaedam excerpta exhibet *Epiphanius*. P. m. 318. & seqq.

Ex his quaedam notabimus, quae h. l. usui esse possunt.

Pag. 319. Leguntur illa verba, quae nos nunc habemus in *Epistola ad Eph. IV. 5.* citata ex *Epistola XI. dicta ad Laodicenos* pag. 371.

Apud *Epiphanium* citata comparent verba, quae nos legimus *Eph. II. 12.* & seqq. in hunc modum: τῆς πρὸς Ἐφεσούς ἐβδόμης ἔσθαι πρὸς τὸν Μαρκίωνα πέμπτης ἢ πρὸς τὸν Ἀποστόλου Κερνήτης ταύτης.

Similiter p. m. 372. dictum quod & nunc extat *Eph. V. 4.* sub eadem rubrica continetur. P. m. 374. postquam *Epiphanius* ex *Marcionis* opere, ex *Evangelio* *Lucae* & *Apostoli* scriptorum, ac denique sacrorum voluminum reliquiis contexto, atque sic ab eo relictae particulis, quae ad illum convincendum facere poterant, dele-

delegisset; sic pergit: Προσθετε ἢ ἐν τῷ ἰδίῳ Ἀποστολικῷ Κατακρίμῳ, ἢ τῷ κατακρίμῳ πρὸς Λαοδικείας. Ἐἰς κείνῃ, μίᾱ πίστι (Ec. verba sunt, quae nunc habentur Eph. IV. 5.)

Quibus subjicit *Epiphanius*: Συνάδωντος μὲν τῆ πρὸς Ἐφεσίους, ὡς Μακεδόνων, ἢ ταύτας τοὺς ἄλλοις μαρτυρίας, ὡς τῆ λεγομένης πρὸς Λαοδικείας συνήγαγας ἢ ὡς μαρτυρίας.

Quae verba liberè nimis ita reddit *Dionysius Petavius*: „Con-
 „ fentiunt cum iis, quae in Epistola ad *Ephesios* leguntur, quae
 „ in Epistola ad *Laodiceos* (sic enim inscribitur) contra Te te-
 „ stimonia protulisti. Liberè inquam, nimis. Ex illis enim La-
 „ tinis verbis Lector suspicaretur ipsum *Epiphanium* testari, *Epi-*
 „ stolam ad *Ephesios* vulgo dictam inscribi Epistolam ad *Laodiceos*.
 „ Quod in Graeco textu non apparet. Simpliciter igitur Graeca
 „ *Epiphani* verba, Latine versa, sic sonant: Convenienter equidem
 „ illi (epistolae quae est) ad *Ephesios* o *Marcion*, etiam haec, quae
 „ contra Te sunt testimonia ex Epistola, quae ad *Laodiceos* dicitur,
 „ contra Te ipsum congesisti testimonia.

§. 67. Antequam *Epiphanium* missum faciam, notare debeo, quod
 idem *Epiphanius* iterum p. m. 321. loquens de *Marcionis* συντάξει, di-
 cat, eum illa comprehendere, non omnes Pauli Epistolas, sed dun-
 taxat ad Romanos, & ad *Ephesios*, & ad *Colossenses*, & ad *Laodice-*
 „ nos, & ex illa quae & ad *Galatas*, & ad *Corinthios* utraque, &
 „ ad *Thessalonicenses* utraque, & ad *Philemonem* & ad *Philippenses*,
 „ & ad *Timotheum* utraque, & ad *Tuum*, & ad *Hebraeos*, non abs-
 que mutilatione.

Haec paulo copiosius exhibere volui ex *Epiphanio*, quem pau-
 cissimis tantum verbis citavit Cl. *Viringa*, dicens, „ Idem notat
 „ *Epiphanius*. Scilicet quod *Marcion* satis longam pericopam ci-
 „ tet ex Epistola *Pauli*, quam ipse ad *Laodiceos* vocet: Illa autem
 „ pericopa verbotenus legatur, in hac ipsa Epistola nostra, quae
 „ ad *Ephesios* dicitur.

Haec excerpta ex *Epiphanio* si quis non nimis oscitanter inspi-
 ciat, videbit quod *Epiphanius* Epistolam ad *Ephesios* (distinctam
 ab Epistola ad *Laodiceos*) *Marcioni* agnitam esse testetur; quam-
 vis non absque mutilatione. Sed *Marcionem*, suae, quam jacta-
 bat, *Pauli* ad *Laodiceos* Epistolae, inseruisse quaedam, imo, si

ita velis, bene multa, quae in Epistola ad *Ephesos* reperiuntur;

§. 68. Probabile igitur mihi nequaquam fit, *Marcionem* negare sustinuisse Epistolam, quam nos legimus *Ephesius* inscriptam, ad illos vere a Paulo scriptam esse. Sed id solum certo constat, *Marcionem*, illi, quae dicebatur & in ipsius Apostolico continebatur, Epistolae ad *Laodiceos*, pericopas ex Epistola ad *Ephesos* transumptas inseruisse.

§. 69. Atque hoc pacto ex *Epiphano* explicandus erit *Tertullianus*. Loca ad quae Cl. *Viringa* Lectores remittit sunt l. V. c. XI. & XVII. Ita sonant verba prioris p. m. 598. edit. Rigaltii. Praetereo hic de alia Epistola, quam nos ad *Ephesos* praescriptam habemus, haeretici vero ad *Laodiceos*. At enim meminisse nationes quod illo in tempore, cum essent sine Christo, alieni ab Israële sine conversatione, & testamentis & spe promissionis, etiam sine Deo essent in mundo, utique & sine creatore.

Satis planum est, *Tertullianum* digitum intendere ad *Ephes.* II. 12.

Alter autem locus *Tertulliani* a nobis exhibitus est in principio hujus Articuli. vide hujus dissert. pag. 17. §. I. conf. pag. 3. §. 5.

Res sic se habere videtur: *Tertullianus* videns in Epistola, quam *Marcion* in suo *Αποστολικῷ* Epistolam *Pauli* ad *Laodiceos* vocabat, inserta esse verba, quae revera in Epistola ad *Ephesos* scripserat *Paulus*; hoc interpolationis crimen *Marcioni* impetit.

§. 70. Sed dato, non concessio, *Marcionem* negasse Epistolam, quam nos credimus ad *Ephesos* missam, ad ipsos esse datam, eundemque adfirmasse ad solos *Laodiceos* illam esse scriptam; Quis hujus hominis fidem praestabit?

Dicit equidem Cl. *Viringa* cum *Grotio*, *Marcionis* non interfuisse ut mentiretur. At qui hoc scit Vir Doctissimus? Quia (inquit) non scripsit ad fidem ejus elevandam, sed eam agnovit, in suo *Αποστολικῷ* retinuit, ac dogmata sua ex ea se demonstrare posse videri voluit.

Sed respondeo: An integram, incorruptam, non interpolatam retinuit? Quis credit? An ergo suae (vel cujuscunque fuerit ἢ πρὸς λαοδικαῖς λεγομένη) quam *Pauli* esse jactabat, Epistolae ad *Laodiceos*

dicenos non potuit partim quaedam ex Epistola ad *Ephesios*; partim quaedam sua commenta inferere? Utque fucum tanto facilius faceret, non ad Epistolam ad *Ephesios*, ne ex illa convinceretur falsi, provocare, sed ad aliquam ad *Laodicenos* datam, eamque, ut facilius *Pauli* foetum esse persuaderet, pluribus ex genuina illa ad *Ephesios* Epistola decerptis flosculis exornare?

§.71. Parum roboris autem habet, quod ad fidem *Marcioni* conciliandam affert Cl. *Viringa*. Nimirum quod fuerit *Sinopenfis*, adeoque ex urbe *Laodiceae* vicina oriundus, ibidemque verusatus.

Fateor hinc sequi, quod potuerit scire, an haec Epistola ad *Laodicenos* scripta sit; Sed de eo non quaeritur: An nemo Veterum, qui uno ore testantur eam ad *Ephesios* scriptam esse, quorum ne unus quidem est, qui eam *Laodicenis* vindicet, scire potuit, ad quam ecclesiam haec Epistola pertineat?

§.72. At, inquit Cl. *Viringa*. Facile mendacii redargui poterat: Sed regero: An non etiam hac in parte ipsum mendacii arguit *Tertullianus*? Nullus ex omni antiquitate hactenus productus est Scriptor, nulla Ecclesia, nullus Codex, qui in *Marcionis* sententiam concesserit: Satis manifesto indicio, quod ipsius interpolatio falsi sit convicta.

§.73. Quod si vero contenderet aliquis, *Marcionem* eo audaciae processurum non fuisse, ut Epistolam *Ephesios* inscriptam, *Laodicenis* vindicaret; cum versaretur in vicinia *Laodiceae*: Illi autem probandum foret *Marcionem* in urbe *Sinope*, vel saltem in vicinia *Laodiceae*, hanc suam interpolationem vulgasse. Hoc autem neque *Tertullianus* nos docet, neque *Epiphanius*. Soli in hoc negotio laudati testes.

§.74. Imo contrarium fere colligendum mihi videtur, ex eo, quod *Epiphanius* narret, quod scelestus impostor, post stuprum Virgini illatum, ab ipso suo Patre excommunicatus & ex Ecclesia eiectus fuerit, & cum nullis precibus obtinere potuerit, ut in Ecclesiae communionem reciperetur, e Ponto Romam venerit. Cum autem Romae quoque nihil obtineret, studio vindictae haeresin *Cerdonis* amplexus sit, & palam Senioribus dixerit *Εὐὸν γένω τὸ Ἐκκλησίαν Ἰωάνν.* Uti igitur *Cerdon*, sic *Marcion*, solum Evangelium *Lucae*, nec tamen totum recepit; Apostoli *Pauli* neque omnes

omnes neque rotas Epistolas sumit. Vide *Tertull. de praescript. Haeretic.* cap. LI. p. m. 253. *Epiphani. haeref. XLII. supra p. 38. 39.* a nobis laudata. Aliosque, in compendio exhibitos, a Doctiss. B. Calvoerio, in *fissuris Zionis* p. m. 123. 124.

Judicio nunc Lectoris veritatem amantis relinquo; an *Marcionis* qualicumque testimonio fides sit habenda? Nedum contra universae Ecclesiae unanimem assertionem?

§ 75. Verum enim vero, hunc Ducem sistet nobis *Celeb. Vitringa*, non sine copiis, eisque non levis armaturae.

Affirmat enim *Basilium & Hieronymum*, magna profecto nomina in Ecclesia, CANDIDE FATERI, in antiquissimis MSS. non reperta a se fuisse verba ἐν Ἐφεσῶν.

Ex qua confessione (uti eam vocat *Vir Clar.*) candida, speciosissimae ipsi nascuntur rhetoricationes.

§ 75. Haec tamen meum animum parum commovent, multo minus dimovent a sententia.

Demus (quamvis minime agnoscamus vel concedamus) *Viri Clarissimi* hypothesin: Utrumque celebratissimum Ecclesiae Doctorem candide fateri in antiquissimis MSS. non reperta a se fuisse verba ἐν Ἐφεσῶν.

Quid hinc sequeretur? Lacunam ibi repertam in illis MSS. quae ad horum duorum Patrum manus pervenerant fuisse. Recte hactenus. At illam lacunam inde ortam esse, quod illorum Codicum Scriptores dubitaverint, utrum legi deberet ἐν Ἐφεσῶν, an vero ἐν λαοδικείᾳ, quo pacto probabit? Quod tamen sibi hic sumit *Vir Clarissimus*?

Neque *Basilium* neque *Hieronymum* aliquid, imo ne *verū* quidem, quod istius dubitationis indicium sit, habent. Neque ex lacuna aliud nomen formare licet. Posset ex variatione Codicum, & dubitatione Librariis subnata, lacuna quaedam oriri: rarius tamen id contingere putem. Solent enim aliquando alterutram eligere, vel solam, vel ita, ut alteram margini adscribant. Tale quid hic factum esse, ne unicus quidem testis existit.

Lacuna ista aliis visā est indicare Epistolam hanc fuisse encyclicam. Quam sententiam illis relinquo. Sed an non saepius contingit, ut accuratissimi librarii, quando litterae vel nimis exi-

liter

liter expressæ vel detritæ sunt, spacium potius relinquere, quam perverse scribere malint? Quo fundamento igitur defectus verborum ἐν Ἐφέσω considerabitur ut testimonium *Marcionis* interpolationi succenturians?

§. 77. Sic consecutionem infringimus. Sed quid, si ipsa hypothesis falsa, vel saltem plane incerta sit?

CANDIDE FATERI BASILIUM ET HIERONYMUM se in antiquissimis MSS. non invenisse verba ἐν Ἐφέσω, dicit Clariss. *Varinga*. Ego nego & pernego. Inspiciat Lector ipsissima verba, & videat an eam reperiat confessionem.

§. 78. *Basilii* verba, contra *Eunomium* disputantis, lib. II. p. m. 743. fol. Qqq. (tom. I.) hæc sunt: Ἀλλὰ καὶ τοῖς Ἐφεσίοις ἀπεπέλασαν ὡς γνησίως ἐνοουμένους τῷ ὄντι δι' ἐπιτηρώσεως, ὅντως αὐτὰς ἰδιαζόντως ἀνόμασαν, ἐπιὼν τοῖς αἰγίοις τοῖς θεοῖς, καὶ πιστοῖς ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ. Ἔτω γὰρ καὶ οἱ περὶ ἡμῶν παρ' ἐδεδωκασί, καὶ ἡμεῖς ἐν τοῖς παλαιοῖς ᾧ ἀνηγράφῳν εὐρημάκεθι.

§. 79. Subtilitatem ibi elicere conatur *Basilius* ex verbis τοῖς θεοῖς; quasi significarent illos, qui cum DEO, qui (κατ' ἐξοχῆν) existere dicitur, communionem habent; nihil amplius. De quo statim plura.

§. 80. Quod autem ad *Hieronymum* attinet; in mea operum *Hieronymi* editione (quæ est illa *Mariani Victorii Reatini*, quæ prodit *Parisis* Anno 1623.) lib. VIII. p. m. 241. & seqq. extat ille *Commentarius* in *Epistolam ad Ephesios*.

Hunc *Hieronymi* non esse, sed hominis *Pelagiana* hæresi infecti, editor post alios, nimirum *Ambrosium Catharinum* & *Sixtum Senensem*, censet; in censura, quam ipsi hujus tomi titulo subjecit.

Quisquis autem Auctor sit, loco citato, in illo *Commentario*, neque in ipso *Textu* aliquid, ne γὰρ quidem, reperio, quod indicio sit vocem Ἐφέσω in antiquis Codd. fuisse omissam.

In *Textu* plene legitur: *Omnibus sanctis qui sunt Ephesi*.

Commentarius margini adscriptus sic habet: OMNIBUS SANCTIS. „ Omnes sancti fideles non omnes fideles sancti, „ Quia possunt & Catechumeni, ex eo quod Christo credunt, „ fideles dici, non tamen sancti sunt; quia non per baptismum „ sanctificati. Sive sic intelligendum, quod scribatur fideliter „ servantibus gratiam sanctitatis.

QUI SUNT EPHESI &c. Non omnibus *Ephesis*, sed his qui credunt in Christo.

Tomo autem VI^{to}, ubi alius Hieronymi reperitur in hanc Epistolam Commentarius, p. m. 161. iterum in Textu lego plene scriptum: *Sanctis omnibus, qui sunt Ephesi, & fidelibus in Christo Jesu.*

Et in commentario, margini adscripto, haec verba reperiuntur: **SANCTIS OMNIBUS QUI SUNT EPHESI.** „ Quidam „ curiosius quam necesse est, putant ex eo quod Moyſi dictum „ sit: *Haec dices filiis Israël. QUI EST misit me*, etiam eos qui in „ *Epheso sunt sancti & fideles, essentiae vocabulo esse nuncupatos. Ut* „ quomodo a Sancto Sancti, a justo justi, a sapiente sapientes: „ Ita ab eo qui EST, hi, *qui sunt*, appellentur; & juxta eundem „ Apostolum elegisse Deum ea quae non erant, ut destrueret ea „ quae erant &c. Alii vero simpliciter, non ad eos, qui sunt, „ sed qui *Ephesi sancti & fideles sunt*, scriptum arbitrantur.

Nulla hic confessio, extitisse exempla, in quibus nomen ἁγίων sit omissum. Neque Hieronymus ullatenus dubitavit, utrum haec Epistola ad *Ephesios*, an ad aliam Ecclesiam data sit:

Luculentissime, in Prooemio ad *Paulam & Eustochium*, ostendit, se hanc Epistolam habere pro Epistola ad *Ephesios* scripta: Imo ne quidem ullam sententiae contrariae, vel ea de re dubitantis, nedum hanc Epistolam *Laodicensis* vindicantis, mentionem facit, diligentissimus Hieronymus, sui temporis Criticus, si quis alius, doctissimus.

§.81. Testatur *Basilius* se in antiquissimis Codicibus legisse τοῖς ἁγίοις. Hoc in rem suam (bene an secus nunc non inquiri) adhibet. Sed neque negat, neque affirmat (neque hoc ad scopum ejus requirebatur) his verbis subjici ἐν Ἐφέσῳ. Legi autem τοῖς ἁγίοις recte affirmat *Basilius*: legitur etiam in nostris codicibus MSS. & impressis.

Hieronymus nihil aliud facit, quam quod significet nimiam esse, *Basilii*, vel eorum, qui ipsum hac in parte sequuntur, subtilitatem, qui ex verbis τοῖς ἁγίοις exsculpunt credentium communionem cum illo, qui καὶ ἐξοχῶ EXISTERE dicitur.

An *Basilius*, an *Hieronymus* vel minimam suspicionem significent,

cant, vel dubitationem, utrum ad *Ephesios* an ad alios missa sit haec Epistola? Contrarium patet ex Prooemio *Hieronymi* ad *Paulam* & *Enstochium*. Uti quoque *Basilii* absque ulla haesitatione loquitur dicens *τοῖς εφεσίοις επιστελλῶν* &c.

§. 82. Parum igitur curamus hac fictitia candida *Basilii* & *Hieronymi* confessione nixas rhetoricationes & hariolationes; illa quidem exemplaria quae nomen *εφεσῶν* habent multitudine; sed illa, quae olim ante *Basilii* & *Hieronymi* tempora aliud aliquod nomen, speciatim *λαοδικείας* exhibuerint, antiquitate se commendasse &c.

§. 83. Quamvis autem summopere venerer, non sequor tamen Magnum illum Usserium, eruditissimum Virum, *Annal.* p. m. 686. extrema edit. Lond. qui mihi videtur nimium facile credidisse. *Basilium* testatum esse verba in *εφεσῶν* defuisse in Codicibus antiquis. Speciem, fateor, verba *Basilii* (p. 43. descripta) istiusmodi defectus, prae se ferunt. Sed scopo & antecedentibus *Basilii* recte inspectis, non co tendunt, ut significant defuisse indicationem loci; sed tantum ut probent *Paulum* credentes, ad quos scribebat, singulari quadam emphasi vocare *τὸς ὄντας*, utpote *γνησίας ἐνωμένους τῷ ὄντι*. Quod autem dicit *Basilii*, *ἔγω γὰρ ἔχει πρό ἡμῶν παρεδεδωκυῖαι, ἔχει ἡμῶς ἐν τοῖς παλαιῶσι τῶ ἀνήγγελτων ἀνεήκων*. Si scopum orationis *Basilii* spectemus, nequaquam (quod sibi Viri summi nimia festinatione videntur persuasisse) probationi, quod defuerint verba in *εφεσῶν*, destinatum est; sed ista confirmatio inservit demonstrationi *Paulum* vere scripsisse *τοῖς ὄντι*. Quod confirmatione aliqua indigere forte *Basilio* videbatur, cum omnis ratiocinatio ipsius hoc fundamento niteretur.

§. 84. Certe non belle sibi constare mihi videretur *Basilii*, si affirmans quod *Paulus* *τοῖς εφεσίοις επιστελλῶν*, *αὐτοῖς ἰδιαζόντως ἐνωμάσεν ὄντας*, probatum iret in antiquissimis Codicibus desiderari *Ephesiorum* nomen. Et scire equidem velim quorsum respiciat pronomen *αὐτῶς*, nisi ad *εφεσῶν*, *οἷς* erat *επιστελλῶν*, quosque considerabat ut *γνησίας ἐνωμένους τῷ ὄντι*.

§. 85. An eadem festinatione occupatus, & quod non vacaret in rem inquirere, Summus ille Litterarum instaurator, ERASMUS, memorans a *Marcione* citatam Epistolam, tanquam ad *Laodicenos* datam, dicat se NON PRONUNCIARE, (quod ei pag. 7.

differt. I tribuit Clar. *Vitringa*, non indicato loco) fateor me haecenus nescire; In Bibliis Polyglottis ad Eph. I. 1. in notis *Erasmi* ad h. l. id non legitur. Neque mihi nunc vacat in id inquirere.

§.86. Res ad liquidum mihi videtur perducta. Firmum ratumque cenfeo, Inscriptionem, quae nunc Eph. I. 1. legitur, unanimi codicum fide & omnium Antiquorum Patrum testimonio firmatam, nequaquam mutandam esse: Atque adeo Epistolam hanc nostram, cui hisce prolegomenis illustrandae nos accingimus, vere a *Paulo* ad *Ephesios* esse scriptam.

ERRATA QUaedam CORRIGENDA.

- Pag. 11. lin. 8. 6 lege 16.
 Pag. 18. lin. 23. *Apostolatam* lege *Apostolatam*.
 Pag. 25. lin. 30 *sibe* lege *sibi*.
 Pag. 28. lin. 2. *yniversos* lege *universos*.
 Pag. 28. lin. 29. *verbus* lege *versibus*.
 Pag. 30. lin. 8. *χαριτοι* lege *χαριτες*.
 Pag. 32. lin. 1. *segneserent* lege *segnescerent*.
 Pag. 32. lin. 7. *Apostolam* lege *Apostolatam*.
 Pag. 32. lin. 13. *suam* lege *suum*.

Reliqua condonabit & corriget ipse benevolus Lector.

THESES DEFENDENTIS.

I.

Veritates, quas Reformata Religio profitetur, in Compendio Theologiae Revelatae a Cel. S. VAN TIL concinnato, contentas, contra omnes & singulas Adversariorum objectiones, in eodem Compendio specialius adnotatas, propitio Summo Numine, defendendas in me recipio.

II.

Decreta Dei, quatenus liberrimam de rebus extra Deum positis, voluntatis Divinae determinationem dicunt, non dicenda sunt ipse Deus, nisi sano sensu explicentur verba.

III.

Locus 2 Reg. XIII. 19. cum ex Scientia Dei, quae in Scholis Vissionis audit, commode explicari possit; nulla ad ejus expositionem Media, utpote Deum dedecente, humani cerebelli figmento, Scientiae opus est.

IV.

Ex communi Reformatorum Doctrina, de Divino, ad vitiosas creaturarum rationalium actiones, concursu Deum esse auctorem peccati neutiquam sequitur.

V.

Nullus extat S. Scripturae locus, in quo vocabula הצדיק & צדיק, proprie & directe habitualis justitiae infusionem significarent, atque adeo non in sensu forensi, vel quasi forensi, occurrerent: ex quo principio etiam phrases, יצדיק לרבים כדעתו Jesa. LIII. II. & מצדיקי הרבים Dan. XII. 3. explicandas esse censens.

Τὸ ρηθὲν Ἰεζεκιὰς ἔ Προφήτης, *Mitt. 27: 9.* optime exponitur ex eo, quod *Jeremias* in *Volumine Prophetarum* olim primum obtinens locum, reliqui *Prophetae*, adeoque ἔ *Zacharias*, ejus nomine interdum venire poterint.

VII.

Epistolam 1 Cor. V. 9. citatam, in illa, quam hodie habemus, priore ad *Corinthios* (ut compendiosorem in pleniori) *Epistola* contineri, est probabilissimum.

VIII.

Cornelianæ Act. Cap. X. memoratum, גר צדק non fuisse, ex versu 28. ejusd. *Cap.* colligitur.

IX.

Jes. XXXVIII. 1. Verba, כִּי מַת אַתָּה וְלֹא תַחִיָּה non pertinere proprie ad denunciationem Dei, per *Prophetam Hiskiae* proponendam; sed esse rationem denunciationis Divinae a *Propheta additam*, accentuationis analysis docet.

F I N I S.